βεβλῆσθαι καὶ τῇ περὶ αὐτοὺς ὀδύνῃ ἀθλίως ἀπομαραίνεσθαι. Ἐπεὶ οὖν τό γε εἰς ἀνθρώπους ἧκον, ἡ νόσος οὐδαμῶς ἰάσιμος, τῶν τοῦ μεγάλου Λουκᾶ θαυματουργιῶν εἰς ἀκοὰς αὐτῷ ἐρχομένων, ἐδίψα μὲν τὸ αὐτοῦ καταλαβεῖν μοναστήριον καὶ τῇ θαυματουργῷ σορῷ προσπεσεῖν, ἠπορεῖτο δὲ τοῖς ὅλοις καὶ οὐκ εἶχεν (fol. 38, col. 2) ὅ τι καὶ δράσειεν. Οὔτε γὰρ ἱππάσασθαι δυνατὸν αὐτῷ, τῆς ὀδύνης μὴ ἐφιείσης καὶ τὸ κλινοπετῆ πάλιν ἀνύσαι τοσαύτην ἐπιεικῶς δυσχερές. Τί οὖν ποιεῖ; Φθάνει τὸν τόπον τῇ διανοίᾳ, τοῖς τῆς πίστεως διαθέει πτεροῖς, αὐτῆς ψαύει τῆς σοροῦ τοῖς χείλεσι, καλεῖ, καὶ σώματι μακρὰν ὤν, τὸν ἐγγὺς παρεῖναι μὴ ἀπορουντα διὰ τῆς χάριτος· Εἰσέλθοι τὸ ἀξίωμά μου, λέγων, ἐνώπιόν σου καὶ ἡ δέησις ἐγγισάτω, καὶ δὸς τῇ πρὸς Θεόν σου δυνάμει μὴ ἱκετείαν, ἀλλ' εὐχαριστίαν προσάγοντα τὴν σὴν ἐμὲ σορὸν ὄψεσθαι ποσὶν ἐρρωμένοις. Τοιαύτην τῷ ἁγίῳ προσάγων τὴν ἱκέτειαν οὐκ ἐπὶ πολλαῖς προσῆγεν ἡμέραις, ἀλλὰ ταχύνας ἐπ' αὐτῷ τὴν εὐεργεσίαν ὁ ἅγιος ἄφνω κουφίζει τῶν ἀλγηδόνων, λύει τὰς πέδας αὐτῷ τῶν ποδῶν, ἄρτιον εὐθὺς ὅλον δείκνυσιν, οὐ βαδίσμασι μόνον ἐλευθέροις, ἀλλὰ καὶ ἅλμασιν ἤδη χρώμενον, μικροῦ καὶ ἑαυτῷ διαπιστεῖν ἔχοντα εἰ ἐκεῖνος εἴη ὁ πρὸ ὀλίγου πάθει τοσούτῳ πεπεδημένος. Μετ' οὐ πολὺ γοῦν καταλαμβάνει τὸ μοναστήριον εὖ ποδῶν ἔχων, εὖ πίστεως καὶ τὸν θεῖον ναὸν εἰσελθὼν τῷ σημειοφόρῳ προσπίπτει τάφῳ· Εὐχαριστῶ σοι, λέγων, τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπε, ἀνθ' ὧν ἐρύσω τοὺς ὀφθαλμούς μου ἀπὸ δακρύων καὶ τοὺς πόδας μου ἀπὸ ὀλισθήματος. Εἶτα βραχὺ τοῖς πατράσι συμμείνας καὶ τὴν νόσον (fol. 38ᵛ, col. 1) ὅπως εἶχε διηγησάμενος, καὶ οἵαις ὀδύναις τῶν ποδῶν κατετρίβετο, ἡδὺ γὰρ ἀτεχνῶς διήγημα τὰ τῆς νόσου λέγειν μετὰ τὴν νόσον, ὥσπερ ἄρα καὶ λυπηρὰ πάντα δηλαδὴ μετὰ τὴν παρέλευσιν, ἔπειτα καὶ τὰ τῆς ὑγιείας ὅπως ἀθρόα καὶ ταχυτάτῃ γέγονε πάντα διασαφήσας, εὐθυμῶν οἴκαδε ἐπανῄει.

82. Θερμὸν ἡ νεότης καὶ αὔθαδες καὶ τοῖς ὑπὲρ δύναμιν πολλάκις ἐπιχειρεῖν προθυμούμενον καὶ μάλισθ' ὅταν καὶ φυσικὴν ἔχῃ πρὸς τοῦτο ῥοπήν. Ἱκανὸν τοῦ λεγομένου μαρτύριον ὁ νῦν προκείμενος εἰς διήγησιν Δημήτριος ὁ καὶ Καλωνᾶς (διώνυμος γάρ). Οὗτος σφριγῶν νεότητι καὶ ῥώμῃ σώματος ἐγκαυχώμενος, σιρὸν ἐπ' αὐτῆς οἰκίας, ὃν καὶ γοῦβαν (1) ἄγροικοί τινες ἂν καλέσειαν, ἀνορύσσων ἦν εἰς ἀπόθεσιν

(1) Hanc vocem γοῦβαν ac si nomen proprium esset, interpretatus est Combefisius, *Act. SS.*, Febr. t. II, p. 100, cum eam vertit *Goumam*. Iam vero voce γοῦβαν explicatur verbum σιρόν, quod Suidas interpretatur λάκκον (Stephanus ad v. σιρός).

πάντως σίτου τε καὶ κριθῆς ἢ ἑτέρου, φημί, τῶν χεδρόπων· εἶτα ἐπὶ πολὺ τοῦ βάθους προήκων, ἐντυγχάνει λίθῳ βαρεῖ καὶ μεγίστῳ, ὃν καὶ ἀμφοτέραις διαλαβὼν καὶ ἀνελκύσαι φιλοτιμούμενος, πολλῷ μείζονα ὄντα ἢ ὥστε καὶ χερσὶν ἑνὸς πείθεσθαι, δεινῆς ἀπέλαυσε καὶ ἀθλίας τῆς ἀλόγου ταύτης φιλοτιμίας, τῶν ἐγκάτων αὐτῷ πρὸς βίαν καταῤῥυέντων καὶ φόρτου φεῦ ἐλεεινοῦ τοὺς διδύμους πεπληρωκότων, καθάπερ τιμωρίαν ὑποσχὼν ἐκεῖνος τῆς ἀμέτρου περὶ τὴν ἐπίδειξιν προθυμίας· (fol. 38ᵛ, col. 2) καὶ ταῦτα παθών, ἅπερ οὐκ ἐπιδείκνυσθαι μᾶλλον, ἀλλὰ κρύπτειν ἐκείνῳ κάλλιον ἦν. Ἐπεὶ οὖν δυσκίνητος ἐντεῦθεν ἢ καὶ ὅλως ἀκίνητος ἦν, συνδραμόντες οἱ κατὰ γένος αὐτῷ προσήκοντες ἀνελκύουσι μόλις καὶ τῇ κλίνῃ ἀθυμίᾳ πολλῇ καὶ ὀδύνῃ βαλλόμενον κατακλίνουσιν· ἔνθα μετακλαίοντι καὶ ἀπορουμένῳ καὶ τοὺς τῆς ἀφροσύνης δρεπομένῳ καρπούς, οὐδεμίαν τε ὑπό τινος παράκλησιν δεχομένῳ, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ ἔλεος αὐτοῦ τῇ τοῦ ἀγαθοῦ θεράποντος αὐτοῦ συμπαθείᾳ καὶ γίνεταί τις πρόφασις ἐκ τοῦ παρήκοντος θεραπείας. Ἀνὴρ γάρ τις τῶν γνωρίμων αὐτῷ, νῦν ἀπὸ τοῦ Στειρίου ἐληλυθώς, ἔλαιον ἣν ἀπὸ τῆς φωταγωγοῦ, ἣν ὁ τοῦ ἁγίου σεπτὸς ἔχει τάφος, ἐπιφερόμενος, ὅπερ δεδωκὼς ἐκείνῳ χρίειν ἐκέλευε τὰ πάσχοντα μέρη καὶ ὃς ἐποίει τὸ κελευσθέν. Οὕτω δὲ πράττοντος, οὐ πλέον ἢ τρεῖς παρῆλθον ἡμέραι, καὶ τοῦ ἀλγεῖν καὶ πάσχειν ὅλως παυσάμενος, τοῦ ὑμνεῖν τὸν ἅγιον ἤρχετο, ἅτε δὴ καὶ καθαρᾶς ἀπολαύσας τῆς ὑγιείας, καὶ τὰς αὐτοῦ κηρύττειν θαυματουργίας.

83. Οὐδὲ τὸ Κωνσταντίνου θαῦμα παροπτέον ἐστίν, οὔτε μὴν τῶν γραφῇ δοθῆναι διὰ τὸ πλῆθος οὐκ ἀναγκαίων, ἐπεὶ μετὰ τοῦ πρὸς δόξαν εἶναι Θεοῦ καὶ ὑπομονῆς ὑπόδειγμα φέρει κάλλιστον καὶ διδάσκει μηδὲν ἀπαγορεύειν (fol. 39, col. 1) ἡμᾶς ἐν τοῖς λυπηροῖς τῆς τοῦ Θεοῦ χρηστότητος δεομένους, ὅταν βραδύνων αὐτὸς πρὸς τὸν ἔλεον τὴν τοῦ λυποῦντος ἀπαλλαγὴν ἀναβάλληται λόγοις βαθυτέρας οἰκονομίας. Ὁ τοίνυν Κωνσταντῖνος οὗτος πατρίδα καὶ πόλιν ἔσχε τὰς Θερμοπύλας (1),

In Vita S. Pauli primi eremitae, Hieronymus, *P. L.*, t. XXIII, p. 21 haec refert : *alter in cisterna veteri (quam gentili sermone Syri* GUBBAM *vocant).* Theodoretus de Macedonio scribit : ἀλλ' ἐν ὀρύγματι βαθεῖ τὴν στάσιν ποιούμενος ὅθεν καὶ Γουβᾶν αὐτόν τινες ἐπωνόμαζον· ἀπὸ δὲ τῆς Σύρας γλώττης εἰς τὴν Ἑλλάδα τοῦτο μεταφερόμενον λάκκον σημαίνει τὸ ὄνομα. *P. G.*, t. LXXXII, p. 1400. Re quidem vera syriaca vox ܓܘܒܐ fossam, lacum cisternam, etc., designat. Cfr. Payne-Smith, *Thesaur. Syriac.* ad verbum. — (1) In Thermopylis plures erant civitates, quas enumerat Procopius, *De Aedificiis*, ed. Bonn., p. 271. Quid hic intendat auctor per voces πόλιν ἔσχε τὰς Θερμοπύλας ad amussim definire non licet.

ἐν ᾗ καὶ διάγων δαίμονι χαλεπῷ περιπίπτει οὐ συναρπάζοντι μόνον ἁπλῶς, ἀλλὰ καὶ δειμάτων οἵων καὶ σκότους τὴν ἐκείνου πληροῦντι ψυχὴν καὶ πάντα τρόπον ἐπηρεάζοντι. Ἐρρήσσετο γοῦν πυκνότερον αὐτὸς καὶ κατέπιπτε καὶ τὰ τῶν δαιμονώντων ἅπαντα, στρεβλώσεις, σπαραγμούς, σκοτοδίνας τἄλλα τε ὅσα πάσχειν ἐστὶ τοὺς κακῷ τοιούτῳ πεπεδημένους, ὁμοίως ἔπασχε. Τί οὖν ἐκεῖνος; Παριδὼν ἅπασαν τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἐπικουρίαν ἐπὶ Θεὸν καὶ τὸν αὐτοῦ θεράποντα καταφεύγει, καὶ τὸ ἱερὸν ἐκείνου καταλαβὼν τέμενος τῇ θείᾳ προσπίπτει σορῷ καὶ θερμοῖς αὐτὴν λούει δάκρυσιν· εἶτα τῷ καὶ δαιμόνων καὶ παντὸς πάθους ἀλεξικάκῳ καὶ αὐτὸς χρῆται φαρμάκῳ, τῷ τοῦ ἐλέους ὄντως ἐλαίῳ, καὶ οὐδὲν αὐτῷ ἔργον νύκτα καὶ μεθ' ἡμέραν, ὅτι μὴ εὐχαί, προσπτώσεις, δάκρυα καὶ ἡ τοῦ ἐλαίου χρῖσις τοῖς δάκρυσι κιρνωμένη *. Ἀλλ' αὐτὸς μὲν προσεδρεύων ἐν τούτοις τὸ τοῦ Θεοῦ φιλάνθρωπον ἐξεδέχετο, ἡ δὲ χρηστότης μέλλουσα ἦν (fol. 39, col. 2) καὶ τὴν εὐεργεσίαν εἰς ἀναβολὰς παραπέμπουσα, πάντως δὲ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ τῆς ἐκείνου ψυχῆς πρός τι χρήσιμον καὶ σωτήριον· ἓν γὰρ οὐδέν ἐστι τῶν πάλαι τε καὶ νῦν εἰς ἡμᾶς ἐπιγινομένων, ὃ μὴ συντείνειν οἶδε προηγουμένως εἰς ψυχῆς ὄνησιν. Ταύτῃ τοι κἀκεῖνος εἰς δέον τῇ βραδυτῆτι χρώμενος, οὐ ῥᾳθυμῶν ἦν, οὐχ ἐπιδοιάζων, οὐ τὴν θέρμην τῆς ψυχῆς ὑποχλιαινόμενος, οὐ τὴν ἀκμὴν τῆς πίστεως ἀμβλυνόμενος, οὐδεμίαν οἴκου καὶ ἐπανόδου μνήμην ποιούμενος, οὐδὲν μικρόψυχον λέγων ἢ πράττων, ἢ ὅλως εἰς νοῦν βαλλόμενος· καὶ τοῦτο πρὸς βραχύν τινα χρόνον παραχθὲν ἐπαινετὸν μὲν ἦν *, οὐ μὴν ὥστε καὶ θαυμάζεσθαι τῆς ὑπομονῆς ἄξιον. Κωνσταντίνῳ δέ, οὐ πρὸς μῆνα μόνον ἤρκεσεν ἡ ἀναβολὴ οὐδὲ δύο, ἀλλὰ παρ' ὅλους ἓξ ὑστερίζουσα ἦν, πρὸς τὸ πλάτος πάντως τῆς ἐκείνου ψυχῆς παρατεινομένη, ὡς μὴ τῆς τοῦ δαίμονος μόνον ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ τῆς κατὰ ψυχὴν σωτηρίας ἀξιωθῆναι, ὃ καὶ γέγονε. Καὶ τῆς μὲν δαιμονικῆς λύεται τυραννίδος, τό γε νῦν ἔχον, τοὺς δὲ ⟨τῆς⟩ ὑπομονῆς μισθοὺς καὶ τῆς πίστεως εἴς γε τὸ μέλλον ἀτεχνῶς λήψεται.

84. Καὶ ἄλλος δὲ τὸ μὲν γένος ἐξ Εὐβοίας ἕλκων, τὸ δὲ ὄνομα ἡμῖν ἄγνωστος, ὁμοίῳ περιπίπτει κακῷ δαίμονι ἁλοὺς πικροτάτῳ, ὁμοίοις τε πάθεσι καὶ τῇ ὁμοίᾳ χρῆται καὶ οὗτος καταφυγῇ τῇ τοῦ θείου Λουκᾶ, (fol. 39ᵛ, col. 1) φημί, λάρνακι. Εἷς δὲ τῶν τὰς τοῦ κοινοῦ λειτουργίας πιστευομένων (κομμερκιάριον αὐτὸν καλεῖν σύνηθες), ὄνομα Χριστοφόρος, πίστεως χάριν, τῷ ἱερῷ προσβάλλει ναῷ καὶ τῆς τοῦ τιμίου τάφου ἀξιωθεὶς προσκυνήσεως, ἐπεὶ καὶ τῆς παρὰ τῶν πατέρων ἐπιμελοῦς ἔτυχε ξενίας, ἑσπέρας ἤδη καταλαβούσης ἠξίου παρὰ τῇ σορῷ καθευ-

* *ita Vallic.*, κιρναμένη *Vatic.*

*(ἐπ. μὲν ἦν), *om. Vallic.*

δῆσαι. Τῶν δὲ πατέρων τοῦτο ἐπιτρεψάντων· Οὐδεὶς γὰρ ἕτερος, εἶπον, ὅτι μὴ ὁ πάσχων ἐκεῖ προσεδρεύει. Ἀλλὰ καὶ τοῦτον, ἔφη, κατὰ τήνδε τὴν νύκτα τόπος ἕτερος ἕξει, ἐμοὶ δὲ δοθήτω μόνῳ τὸ πρὸς τῇ θείᾳ καθευδῆσαι σορῷ· καὶ γὰρ ἀηδής μοι ἔσται πάντως τοῦ πάσχοντος ἡ συνοίκησις. Συγχωρεῖται καὶ τοῦτο πρὸς τῶν πατέρων, καὶ ὁ μὲν μόνος τῇ θείᾳ παραμένει σορῷ, ὁ δὲ πάσχων ἀλλαχοῦ που τὴν νύκτα κελευσθεὶς διανύσαι πολλῇ περιβάλλεται ἀθυμίᾳ, παρόρασιν καὶ ὕβριν τὸ πραχθὲν ἡγησάμενος καὶ ὥσπερ οὐδὲ τευξόμενος τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου, ἐπεὶ καὶ τῆς πρὸς τὴν ἱερὰν θήκην ἐκβέβληται προσεδρείας. Ὁ δὲ παρακαλῶν (1) τὰς ἐν λύπῃ ψυχὰς Κύριος οὐχ ἁπλῶς ἐκεῖνον ἀθυμοῦντα παρακαλεῖ, ἀλλὰ καὶ τῆς τοῦ δαίμονος ἐπηρείας παραδόξως ἐλευθεροῖ, καὶ ὅπως, ὁ λόγος διδάξει. Ὑπνοῦντι (fol. 39v, col. 2) νυκτὸς ἐπιφανεὶς ὁ θεῖος Λουκᾶς φαιδρὸς καὶ χαρίεις, λίαν τε πρὸς αὐτὸν εὐμενὲς ὁρῶν, πρῶτα μὲν πρὸς ὄνομα τοῦτον καλεῖ, ἔπειτα καὶ τὸ στόμα διανοῖξαι κελεύει, εἶτα τοὺς δακτύλους καθεὶς τρίχα μέλαιναν ἔδοξεν ἀνελκύειν, ἧς τοῦ ἄκρου κάνθαρος ἦν ἀπηρτημένος, ὃν καὶ ὁ μέγας ὑποδεικνύς· Ὁρᾷς, ἔφη, τὸν σὸν πολέμιον; ὥστε τὸ λοιπὸν ἀφείθης τοῦ τυραννοῦντος. Οὕτως ὁ ἅγιος καὶ τὸ πρὸς τὸν δαιμονιῶντα φιλάνθρωπον ἔδειξε φιλανθρώπως καὶ τὰ τοῦ δαίμονος ἁρμοδίως παρέστησεν ἀπὸ τῆς εἰκόνος, διὰ μὲν τοῦ κανθάρου τὴν βδελυρίαν, διὰ δὲ τῆς τριχὸς τὴν ἀσθένειαν. Τελείας οὖν ὁ ἄνθρωπος ἐπιτυχὼν τῆς ἐλευθερίας, οἴκαδε ἐπανῄει, χαίροντας ἰδὼν τοὺς οἰκείους χαίρουσιν ὀφθαλμοῖς.

84......... Qui autem consolatur afflictas animas Dominus, non modo hunc desperantem adhortatur, sed a daemonis infestatione incredibili modo liberat, et quo modo sermo docebit. Cum huic dormienti nocte apparuisset divus Lucas splendens, amoenus, eumque benigne valde respiciens, prius nomine eum evocavit, postea os aperire iussit, dein digitos immittens capillum nigrum visus est extrahere, cuius extremae parti scarabaeus erat alligatus, quem cum sanctus ostendisset : *Viden, ait, hostem tuum ! In posterum liberare ab hoc tyranno.* Isto modo sanctus tum erga daemoniacum benignitatem exhibuit benigne, tum daemonis artes apte repraesentavit ex imagine, per scarabaeum quidem eius procacitatem, per capillum vero imbecillitatem. Perfecta igitur obtenta libertate, vir domum rediit, laetantes videns cognatos laetantibus oculis.

(1) Hic explicit in *Act. SS.*, Febr. t. II, p. 100, versio Combefisiana, quoniam codex Parisinus 1450, ex quo Combefisius libellum desumpsit, mutilus est.

85. Ἀλλὰ τὸν περὶ τὸν κληρικὸν Νικόλαον θαῦμα, ὅς ἐκ Δαυλείας* ἦν ὡρμημένος, σιωπᾶν τις ἐθελήσας καὶ μὴ δοῦναι γραφῇ, πῶς ἂν οὐ τὰ μεγάλα φαίνοιτο ἀδικῶν καὶ καλοῦ διηγήματος τοῖς τῶν τοιούτων ἐπιθυμοῦσι φθονῶν; Οὗτος γὰρ ὑδέρῳ περισχεθεὶς καὶ ἰατροῖς τὸ πρῶτον ⟨ἑαυτὸν⟩ ἐγχειρίσας, ἔγνω κακῶς καὶ ἀβουλήτως περὶ τούτου δράσας· τὴν μὲν γὰρ οὐσίαν, καὶ σφόδρα γε ἠλάττωσεν, ηὔξησε δὲ τὴν νόσον καὶ οὐ μακρὰν ἑαυτὸν τοῦ θανεῖν παρεσκεύασεν. Ἔσχατον οὖν τὸ συνοῖσον (fol. 40, col. 1) μεταμαθών, τῷ κοινῷ πρόσεισι τῶν Ἑσπερίων καλῷ, τῇ θεοδωρήτῳ χάριτι, τῇ ἀμίσθῳ καὶ ἀψευδεῖ θεραπείᾳ, τῇ τοῦ θείου, φημί, Λουκᾶ λάρνακι, ἔνθα προσεδρεύοντα τοῦτον ὁ ἀδελφὸς Παγκράτιος φιλανθρώποις ὁρῶν ὀφθαλμοῖς, οὐ μέχρι τοῦ συναλγεῖν τὸ φιλάνθρωπον ἐπεδείκνυ, ἀλλὰ καὶ ἐνεργεῖν τι τῶν εἰς ὠφέλειαν ἐπεχείρει. Ὕδωρ οὖν ἐν σπόγγῳ λαβών, τὴν θείαν ταύτην ἀποσμήχει σορὸν καί τούτῳ τὸν ἄρρωστον ἀπὸ κεφαλῆς ἄχρι καὶ ποδῶν ἀλείφων, ὢ θαύματος ἀπορρήτου, τὴν νόσον οἷα κόνιν εὐθὺς ἀπήλειψε τὸν ὅσον οὔπω θανεῖν ἐλπιζόμενον. Εἰ τοιούτου θαύματος μικρὸν ἦν ἀδίκημα στερεῖν τοὺς ἀκροατάς, εἰπάτω τις, ⟨οὐ μὴν⟩ ἀλλὰ καὶ πεισάτω.

* Vallic. Διαυλείας.

86. Καὶ τὸ περὶ τὸν ἕτερον δὲ Νικόλαον γεγονὸς οὐδὲν ἧττον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον γραφῆς τε καὶ ἀκοῆς ἄξιον, ὅσῳ καὶ μηδεμίαν ὑπερβολὴν

85. Quod in gratiam clerici Nicolai miraculum factum est, qui Daulia erat oriundus, si tacere quis auderet nec tradere scriptis, quomodo non videretur plurimam iniuriam facere et pulchram narrationem illis qui talia cupiunt invidere? Ille itaque hydropisi affectus, cum medicis prius seipsum commisisset, cognovit se male et imprudenter in hoc egisse. Substantiam enim suam valde minuerat, auxerat morbum, nec procul aberat quin sibi mortem pararet. Tandem igitur quid profuturum esset recogitans, ad commune accedit Occidentalium bonum, ad gratiam a Deo datam, ad gratuitam et non mentitam curationem, ad divi, inquam, Lucae urnam. Ibi eum assidentem frater Pancratius benignis intuitus oculis, non tantum in compatiendo misericordiam exhibuit, sed ut aliquid in eius utilitatem ageret attentavit. Cum aquam in spongia collegisset, sacrum illum abluit loculum, et ista aqua infirmum a capite usque ad pedes ungens, o miraculum ineffabile, morbum tamquam pulverem statim excussit illum, qui iam nihil praeter mortem exspectabat. Si modica esset iniquitas audientes tali prodigio orbare, dicat aliquis nihilominus illud tamen demonstret.

86. Quod autem erga alium Nicolaum factum est, non minus est eoque magis scripto et auditu dignum, quo nulli alii praestat miraculo.

ἔχει θαύματος. Τοῦτον ἤνεγκε κώμη τις περὶ τὴν Κορώνειαν μὲν διακειμένη, Ῥασταμῖται δὲ ἀγροικικῶς οὕτω πως καλουμένη. Οὗτος οὖν εἴτε τινος χολέρας ἀναζεσάσης, εἴτε* καὶ κατ' ἄλλην σώματος κακοήθειαν, ἅπαν τὸ πρόσωπον ἐπληρώθη φλυκτίδων οὐδὲν ἀνομοίως ἐχουσῶν ἀνθράκων πεπυρωμένων, ἐξ ὧν οὐ μόνον κατεχραίνετο τοῖς ἰχῶρσι καὶ πονήρως εἶχεν, ἀλλὰ καὶ πολλῷ μᾶλλον ἴσα καὶ πυρὶ τὴν ὅλην (fol. 40, col. 2) ὄψιν ἐφλέγετο. Ἰατροῖς οὖν καὶ οὗτος ὁμοίως ἑαυτὸν ἐπιτρέψας καὶ χρυσίον πολὺ τὸ μὲν διδούς, τὸ δὲ καὶ ἐπαγγελλόμενος, εἰ τοῦ χαλεποῦ τούτου νοσήματος ἀνεθῇ, ἔγνω κάκιστα περὶ ἑαυτοῦ διανοηθείς· ἕως μὲν γὰρ ἡ χεὶρ ἔρρει καὶ τὸ βαλάντιον οὔπω διάκενον ἦν, ἤκουε παρ' αὐτῶν τὰ ἡδέα ταῦτα, καὶ αὐτὸν μὲν ἐλπίδων ἀγαθῶν πληροῦντα, τούτοις δὲ τὴν ἐκείνου χεῖρα προχειρότερον διανοίγοντα· Οὐδέν σοι τῶν χαλεπῶν ἔσται· ἔτι μικρὸν καὶ ἐκποδῶν ἡ νόσος, καὶ ἀκριβοῦς ἀπολαύσεις τῆς ὑγιείας. Ἐπεὶ δὲ ἅπαν σχεδὸν αὐτοῦ κατεδηδόκασι τὸ χρυσίον καὶ ἡ χεὶρ ἐπαύσατο δαπανᾶν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον φιλαλήθεις ἦσαν οἱ μικρῷ πρόσθεν πορισμοῦ πρόφασιν τὸ ψεῦδος ἔχοντες καὶ ὑπὸ μηδενὸς τῶν ἁπάντων ἐλεγχόμενοι· Ἡ νόσος οὐδαμῶς ἰάσιμος, κρεῖττον ἀνθρωπίνης τέχνης τὸ πάθος Θεοῦ δεῖται μόνου, ᾧ τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις δυνατὰ καὶ ῥᾴδια διανύειν. Τούτων ἐκεῖνος ἀκούσας, ἄνοιάν τε ἑαυτοῦ κατεγίνωσκε

* *ita Vatic.*, εἶτα *Vallic.*

Istum genuit vicus aliquis Coroneae adiacens, quemque Rastamitas vulgo quodammodo appellant. Illius vero, sive cholera quadam intumescente, sive propter alium corporis malum habitum, totus vultus impletus est ulceribus haud dissimilibus prunis accensis, ex quibus non solum faedabatur sanie maleque habebatur, sed, quod peius quidem, igni similia faciem urebant. Ad medicos igitur et iste similiter seipsum convertens illisque aurum multum cum et dedisset et promisisset ut a duro isto morbo liberaretur, agnovit se pessime sibimetipsi providisse. Tamdiu quamdiu manus diffluebat, nec crumena vacua fuit, audivit ab istis iucunda quaeque, quae ipsum bona spe replebant, illis vero manum eius promptiorem aperiebant : ***Nihil molesti tibi accidet; adhuc paululum, expeditus a morbo perfecta frueris sanitate.*** At cum omne paene eius aurum accepissent eiusque manus cessavisset ab impendendo, iam in cassum veritatem locuti sunt, qui paulo ante lucri gratia mendaces erant, nemine omnium reclamante : ***Morbus,*** dixerunt, ***nullatenus sanabilis est, superat humanam artem dolor; Deo indiget solo, a quo quae praestari nequeunt ab hominibus etiam facile valent adimpleri.*** Quae cum ille audivisset, imprudentiam suam agnovit et valde eum paenituit prioris agendi

καὶ πολλὴν εἶχε μετάνοιαν ἐπὶ τοῖς προτέροις, ἀλλὰ καὶ λύπης ἐπληροῦτο καὶ ἀθυμῶν ἦν, ἀνθ' ὧν μετὰ τοῦ χρυσίου καὶ ἃς εἶχε τῆς ὑγιείας ἐλπίδας ἀπώλεσεν. Οὕτως οὖν ἀλύοντι καὶ ἀπορουμένῳ ἐντυχών τις τῶν συνήθων ἔναγχος ἔλαιον ἐκ τῆς φωταγωγοῦ τοῦ τάφου διακεκομισμένος, τάφου λέγω τοῦ (fol. 40r, col. 1) θείου Λουκᾶ, καὶ εἰδὼς οἵαπερ αὐτῷ δύναμις καὶ ὁπόσοις γέγονε παθῶν τε καὶ νόσων φυγῆς αἴτιον, εἰσηγεῖται περὶ αὐτοῦ τῷ φίλῳ· εἶτα σπεύσας καὶ τοῦ οἴκου μεταγαγὼν ἀλείφει τούτῳ τὴν πάσχουσαν ὄψιν μετὰ πολλῆς τῆς ἐξ ἀμφοτέρων πίστεως, τοῦ ποιοῦντος δηλαδὴ καὶ τοῦ πάσχοντος, ἐπιφωνουμένου τῇ χρίσει καὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ θαυμασίου Λουκᾶ οἷά τινος σωτηρίου κατὰ τῶν ἰοβόλων καὶ βλαβερῶν ἐπᾴσματος. Τὸ δὲ ἐντεῦθεν τί; Ἡμερῶν ὀλίγων διάστημα, καὶ ἡ καυσώδης ἐκείνη τῶν φλυκτίδων δύναμις ἀσθενεῖ καὶ ἡ τῶν τραυμάτων πονηρὰ χύσις αὐτοῖς ἰχῶρσιν ἀφανὴς γίνεται οὕτω καθαρῶς, ὡς μηδ' ἴχνος μηδὲ τύπον οὐλῆς ὅλως ὑπολειφθῆναι.

87. Ἀλλὰ πῶς ἄν τις τὰ ἐκείνου λέγειν φιλοτιμούμενος, μὴ καὶ ἀδυνάτοις ἐπιχειρεῖν δόξειεν, ὥσπερ ἀστέρων πληθὺν ἢ ψάμμον παράλιον ἢ χώρας θαλαττίους ἐθέλων ἀπαριθμεῖν; Ὃς οὐδὲ μέχρι καὶ νῦν παύεται ἢ παύσεται τὰ τῶν θαυμάτων ἐνεργῶν φιλανθρώπως, ἅτε φιλανθρώπου Θεοῦ μαθητής τε καὶ θεραπευτὴς γενόμενος καὶ ποταμῶν ἀεννάους ῥοὰς

rationis. Quin et luctu repletus est et animo deiectus, quia cum auro simul et quam habebat sanitatis spem amiserat. Cum illi ita inquieto et quid faceret nescio occurrisset quidam ex familiaribus, statim oleo ex lampade sepulcri allato, sepulcri inquam divi Lucae, sciensque quanta esset eius potentia et quam multis exstitisset dolorum et morborum fugator, consilium ut ad sanctum recurrat dat amico. Dein festinans et eum domum adducens ungit istius dolentem faciem cum maxima utriusque fiducia, agentis scilicet et patientis, invocato cum unctione nomine mirabilis Lucae in salutarem contra venenosa et noxia incantationem. Inde quid? Paucorum dierum intervallo, et urens illa ulcerum vis minuitur, et ex vulneribus malus fluxus ipsius saniei evanescit, ita perfecte, ut neque vestigium neque signum cicatricis ullo modo relinquatur.

87. Sed quomodo quis eius gesta recitare studens impossibilia tentare non videretur, ac si stellarum multitudinem vel arenam littoris vel plagas maritimas vellet dinumerare? Ille enim nec hucusque cessat nec cessabit miracula patrare benigne, quippe qui misericordis Dei discipulus et servus factus est et fluminum iugiter manantes

* cod. Vatic. δεῖγμα τῆς.

μιμούμενος; Ὀλίγα δέ τινα δείγματα τῆς* ἐκείνου πρὸς Θεὸν παρρησίας ἀπολαβόντες εἰρήκαμεν, ἐκ τοῦ γεύματος, ὅ φασιν, τὸ πᾶν παριστῶντες. Ἔστι μὲν οὖν ὁ τῆς κατὰ σάρκα (fol. 40ᵛ, col. 2) ζωῆς τοῦ θείου Λουκᾶ χρόνος οὕτως· τέσσαρα πρὸς τοῖς δέκα γεγονὼς ἔτη τὸ τῶν μοναχῶν ὅσιον ὑπέρχεται σχῆμα καὶ τῆς κατὰ κόσμον ἀγωγῆς ἐξέρχεται, οἰκεῖ δὲ καὶ εἰς τὸ τοῦ Ἰωαννίτζη παράλιον ὄρος πρὸ μὲν τῆς μετοικεσίας Πελοποννήσου χρόνους ἑπτά, μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν δώδεκα, διακονεῖ καὶ τῷ στυλίτῃ τῆς Ζημενᾶς δέκα, ἐν τῷ Καλάμῳ τρεῖς, ἐν τῷ νησίῳ τοὺς ἴσους, ἑπτὰ δὲ διανύσας ἐν τῷ Στειρίῳ τῆς μὲν ἐπικαίρου ζωῆς πέρας εὑρίσκει ἑβδόμην τοῦ φεβρουαρίου μηνὸς ἄγοντος, πρὸς δὲ τὴν μακαρίαν καὶ πέρας οὐδαμῶς ἔχουσαν μεταβαίνει.

88. Αὐτὸς δέ μοι ἄνωθεν εἴης προστάτης τοῦ βίου καὶ τῆς ζωῆς, ἱερὲ Λουκᾶ, τὸ ἐμὸν ἐντρύφημα καὶ καλλώπισμα καὶ τοῦ μικροῦ τούτου πόνου, οὗ περὶ τὸν σὸν ἐθέμεθα βίον, τοὺς σοὺς συντάττοντες πόνους, τὰ σὰ θαυμάσια, ἧττον μὲν τοῦ σοῦ ἀξιώματος καὶ τοῦ μέτρου, πλὴν οὐ τῆς ἡμετέρας ἧττον δυνάμεως, εὕροιμεν παρὰ σοῦ τοὺς μισθοὺς οὐ πρὸς τὴν εὐτέλειαν, οὗ προσηγάγομεν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀξίωμα τὸ σὸν μετρουμένους· ἔσται δὲ τοῦτο πάντως, εἰ ταῖς σαῖς πρεσβείαις, ταῖς σαῖς ὁδηγίαις καὶ τοῖς ἄνωθεν φωτισμοῖς σώσεις ψυχὴν καὶ ῥύσῃ κολάσεως αἰωνίου τὴν

fluctus imitatur. Pauca quaedam exempla eius apud Deum intercessionis cum gaudio rettulimus, ex gustu, ut aiunt, totum statuentes. Est autem carnalis vitae divi Lucae chronotaxis, haec: Quattuordecim annos natus monachorum sanctum suscipit habitum et mundanam conversationem deserit, incolit quidem in Ioannicii monte prope littus maris ante Peloponnesi vastationem annos septem, post vastationem duodecim, ministrat stylitae Zemenae decem, in Calamo tres, in parva insula totidem, cumque septem annos degisset in Stirio, praesentis vitae terminum invenit, septimam februario mense agente, et ad beatam neque umquam desituram vitam demigrat.

88. Tu mihi desuper esto protector conversationis et vitae, sancte Luca, deliciae meae et ornamentum, istiusque parvi operis, in quo vitam tuam composuimus, labores tuos ordinando tuaque miracula, infra quidem meritum et mensuram, non tamen infra nostras vires, nanciscamur apud te praemium, non pro nostra modica oblatione, sed pro tua dignitate mensuratum. Quod sane ita prorsus erit, si tua intercessione, tuo ductu et desursum illuminatione, servaveris animam et liberaveris ab aeterna poena, quae est vere gehenna,

ἀξίαν ὄντως γεέννης καὶ ἀπορρήτων κολάσεων· ὃ καὶ ἐμοὶ γένοιτο, καὶ πᾶσι τοῖς σε βοηθὸν ἐπιγραφομένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

nec non et a secretis castigationibus. Quod mihi contingat et omnibus qui te in auxilium vindicant per Christum Iesum, Dominum nostrum, cui gloria et potestas, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

VITA ET MIRACULA

S. STANISLAI KOSTKAE

conscripta a P. Urbano Ubaldini, S. I.

(*Continuatur.* Vide t. XI, p. 416-467.)

PARS SECUNDA

DE VIRTUTIBUS BEATI STANISLAI

Simul hic, tam de iis, quae ante ingressum in religionem, quam quae in religione in beato Stanislao eluxerunt, virtutibus agam; quia enim in pluribus iam bene exercitatus in saeculo, etiam in religione ab earundem usu non destiterat, similium utrobique plurima relinquens documenta, ideo in eodem cumulo omnes ponere, non erit indecorum.

Has eleganti elogio doctissimus vir Cornelius a Lapide prosecutus est his verbis : " Ita proceres Poloniae, nomine totius regni, beato Stanislao Kostka hoc elogium quasi vitae compendium statuerunt (quod legitur in libro Christophori Chodkiewicz de B. Stanislao), *iuveni castissimo, nobili humillimo, diviti pauperrimo, rerum humanarum contemptori, suique ipsius victori acerrimo*, etc. „ Ego aliquando mutato ordine loquar separatim de singulis, ac primo de ea quae aliarum virtutum mater dicitur et magistra, et in nobili humillimo Stanislao enituit.

Caput primum

De humilitate B. Stanislai Kostka.

Omnibus, quibus perfectionis studium ab alto in cor immittitur, prima humilitas curae est. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis; quanto enim (ait Augustinus, Sermo de Verbis Domini) quisque

vult et disponit superimponere molem aedificii, quanto erit maius aedificium, tanto altius fodit fundamentum. Hanc omnes sancti secuti sunt viam, licet eam diversimode decurrerent: nec quisquam exstitit, qui non eam ingressus, suis quisque competenter annis, muneribus, occasionumque circumstantiis exercitam absolveret. Hanc noster quoque beatus iuvenis a primis pueritiae annis amplexus, in actionibus multis plene pro suae condicionis ordine demonstravit.

Occultabat primo, dum adhuc inter aequales suos Viennae moraretur, suae pietatis indicia; nec prout eiusmodi aetas comparendi avida est, videri talis voluit, qualis erat. Quod cum in illo comprobassent plurimi, tum provincialis Magius, cuius hac de re litteras habeo, alte impressit memoriae, atque eum secrete omnia solitum agere, neque se, tamquam qui de securitate thesauri sibi metuit, alieno conspectui concredere asserebat. *Depraedari enim desiderat, qui thesaurum publice portat in via,* teste Magno Gregorio. Non solum enim, ne videretur a quopiam, de nocte ad orandum e lectulo consurgebat aut sua ieiunia diversis celabat industriis (ut, cum de mortificationis orationisque studio loquar, referam), sed et dum in ceterorum praesentia orare contingebat, a cunctis suae virtutis indagatoribus fuit observatus, quod orationis tempore faciem subsellia versus converteret: ne ab hominibus (aiunt in processu Gnesnensi illi ipsi qui observarunt) conspiceretur; aut ardor ille, qui ab interiori fervore aut intentiori attentione in faciem oculosque erumperet, cuiquam appareret. Ita industrius hic evangelici consilii custos sciebat invenire ostium, quod orans clauderet super se, etiam ubi non esset. Sciebat intrare cubiculum dum oraret palam, ne videretur ab hominibus orans, ne hanc, quam sibi Pater, qui in abscondito videt, redditurus erat mercedem, auferri concederet.

Humiliandi se sponte occasionem inquirens, calceamenta fratris sui germani non quasi frater genere honoreque aequalis, sed quasi ab obsequiis quispiam genere sanguineque inferior, frequenter solitus fuerat expurgare, cubiculum verrere, vestium curam habere.

Qua alacritate Dilingae ministrasset senatorius iuvenis, qua promptitudine vilia obiisset munia, attigi dum de Dilingana apud Canisium diversatione dicerem, neque hic repetam amplius; revoco tantum quae eo loci Sacchinus addit: *In Stanislao humilia inter munia haud nativa solum generositas, sed multo magis eminebat vera indoles christianae, id est divinae nobilitatis. Sive ad mensam sive in caeteris cottidiani usus obsequiis, officiis, longe inferioribus se dominis ministraret, tanta id cura, studio, veneratione faciebat, ut aperte ostenderet Deo se magis quam hominibus inservire, nec mercenariam exhibere operam, nec subsidia descendendo venari, per quae ascenderet, sed esse dumtaxat officiosissimum humilitatis sanctae candidatum.* Appono

et illud, quod affirmatum a quodam, plurima inibi in talibus ministeriis Stanislaum perpessum, adeo ut a Deo pro obtinenda corona illuc missus videretur novus temporum nostrorum Alexius.

Et certe ita post semper ad ea quae vilia erant munia afficiebatur, ut ea non arriperet tantum cum gustu, cum devolverentur ad se, vel obiret cum affectu, sed ea quaereret ipse de industria.

Omnes se superiores existimans venerabatur reverebaturque tamquam inferior, se coetu, in quem receptus erat, eorumque inter quos habitabat quasi angelorum consuetudine indignum appellans:

Se non esse sacro dignum ovili,
Haedum se minimum totius esse gregis.

Ita id Samboritanus expressit; aut si a quopiam humiliari se contigisset, tantopere laetabatur, quantopere dolere videas osores humilitatis si vel umbratice deprimantur, vel laetari si vere vel fictitie exaltentur.

Vili et abiecto amictu laceris attritisque vestibus ita delectabatur, ut in iis coram quibusvis comparere gestiret. Eo tempore quo in Romano fuit collegio, visendi eius causa Iohannes Franciscus Commendonius cardinalis, qui ex multis legationibus per septemtrionem obitis gentem Kostkanam noverat, satisque illius, quam Viennae Stanislai virtutem perspexerat, memor (immo, ut Sacchinus opinatur, ille fuerat legatus, cuius patrocinium apud Magium provincialem, ut se in Societatem acciperet, Stanislaus interposuerat, atque id officii genus et adulescentis moribus et familiae eius nobilitati daturus, prout hoc idem in digressu honorifico patribus testimonio demonstrarat) venerat; Stanislaus abunde se ornatum humilitatis existimans insignibus, prodire ad illum ita ut erat in obsoleta, qua ministerii causa utebatur, laceraque voluit veste, nisi patres habendam magis rationem amplissimae cardinalis personae quam Stanislai fervoris duxissent.

De se, si forte quando contigit, nunquam auditus est loqui nisi, prout sentiebat, humiliter. Iussus aliquando a magistro noviciorum describere, quid sibi pro Indiarum itinere desideraretur, id in sui humiliationem convertens, quamvis omni virtute abundaret, respondit (teste Antonio Madrid) illa plena Deo anima: " Pallium sibi charitatis deesse, galerum patientiae, mortificationis calceamenta. "

Generis sui aut familiae nobilitatem silentio ita occultabat, quasi aliquid pudoris ex eo, si rescitum a quoquam fuisset, incuti posset; umbram etiam, quae se aestimationi hominum subiceret, fugiendo.

Quam humiliter de se sentiret, illud argumento quoque sit, quod praeterire non possum. Die S. Laurentii, ut dicetur, humilitatis

ministerium coquo in culina exhibendum a superiore impetrarat, interrogatus post ab eodem, quid tum mente agitasset, respondit, inter alia, ex illius ignis conspectu ignem sibi succurrisse infernum, quem esset commeritus.

Aderat dies, qua ad humilibus promissa praemia eundum illi erat per mortis agonem; advertens ergo se ultimo iam vicinum passui, propter maiorem humilitatem, et sui imitationem Redemptoris, qui mori in duro crucis lectulo dignatus est, instititit cum magno affectu apud R. P. Rectorem, ut sineret humi se abiectum ultimum exhalare spiritum. Ubi adnotavit Varsevitius : *Faciebat autem id procul dubio propter humilitatem, ut in terra moreretur.* Quod cum primo rector negasset, subticendo aliquantum, iterum supplicavit, et tum, ratus ille ex parte indulgendum dandumque aliquid humilitati solatii, concessit, ut humi cum culcitra sterneretur; atque ita humi iacens, cum magna laetitia assecutus est quod ad sui abiectionem postulavit. Divina mysteria suscepit cum circumstantium voluptate et pari aedificatione, sicque humilem animam de terra, ut exaltaretur in caelum, emisit.

Inter ea, quae post obitum manu ipsius scripta reperta fuerant, et quae magna cum reverentia inter sacrarum reliquiarum cumulum in collegii Cracoviensis SS. Petri et Pauli sacello, a sanctorum reliquiis ibi venerationi expositis appellato, conservantur et quae in Sacra Rituum Congregatione in anno 1661 originaliter fuerant praesentata, exstat una de hac humilitatis virtute, quam ex ore magistri acceperat exhortatio, quasi viva affectus Stanislai erga hanc virtutem expressio, cum manum suam tantopere illi colligendo summario apposuisset, ut et addisceret et observaret, quae ab aliis pro eruditione dicerentur; et sicut in candida papyro, in virgineo animo exercitioque exararet. Quam hic verbis ipsius pono :

Reverendi Patris Ruizii lectio de humilitate.

Antequam ipsam rem aggrediamur, quinque sunt nobis praemittenda. Primo quaedam praeludia. Secundo, definitio humilitatis. Tertio quam sit necessaria. Quarto quomodo acquiri potest. Quinto quae sunt eius filiae ac rami.

Circa primum. 1º ad acquirendam humilitatem necessarium est magnum desiderium illius; 2º quod humilitas sit lumen a Deo infusum; quam ob causam nulla facilius ratione acquiritur quam oratione; 3º necesse est, ut eam exerceamus; 4º cum nos semper oporteat ad perfectionem tendere, humilitas est optimum medium; 5º ut opposita vitia, si quae in nobis sunt exstirpemus, cum duo contraria in uno et eodem loco stare non possint.

Circa secundum. Humilitas est, ex qua homo cognitus sibi ipsi vilescit; vel contemptus propriae excellentiae; vel secundum D. Augustinum, est consideratio suae condicionis et sui conditoris; voluntaria mentis inclinatio in suo imo ordinabili ad

suum conditorem ut idem dicit: " Noverim me, noverim te. " Humilitas etiam dici potest cognitio veritatis, ut D. dicit Gregorius: " Obstaculum est veritatis tumor mentis, quia dum inflat, obnubilat. "

Condiciones humilitatis: 1° Humilis cognoscit se et Deum, se contemnendo, Deum laudando, se despiciendo, Deum vero amando; 2° cognoscit sua vilia ut propria, dona vero ac beneficia Dei ut collata in eum a Deo; 3° se omnibus viliorem facit, scrutando ac intuendo illorum virtutes et sua vitia.

Circa tertium. Quam sit necessaria humilitas, ex utilitate ipsius cognosci potest, cum sine hac nihil boni facere possumus. Necessaria tamen esse videtur potissimum ob quattuor causas: 1° propter acquirendam animae pacem ac tranquillitatem, quam superbus nunquam habere potest; 2° propter vincendas tentationes, cum hoc sit potissimum remedium; 3° propter acquirendas virtutes ut fidem, spem, caritatem, patientiam, quae humilibus vere attribuuntur; 4° propter virtutes, quae praecipue spectant ad religionem, ut orationem et alias; 5° propter perseverantiam, quae etsi sit donum Dei, humilitate tamen potissimum acquiritur, cum plurimos videmus ob superbiam defecisse in religionibus.

Caput secundum

De castitate et conscientiae B. Stanislai puritate.

Quam pretiosa haec in homine margarita sit, quamque in eo, in quo reperitur, aestimanda, vel ex eo conicitur, quod rara delicata virtus ea sit, facillimeque amitti possit. Portamus thesaurum hunc in vasis fictilibus, quibus vel minimus, etiam super mollissime stratum pavimentum, casus periculum grave est.

Margaritam hanc et unionem pretiosissimum beatus Stanislaus integrum semper conservavit. Nam primo, ut supra aliquantum attigi, illibatum semper tenuit virginitatis florem; itemque a secunda origine acceptam in sacro fonte stolam, gravi labe nunquam contaminatam, secum in religionem et post in terram cum corpore, in caelum, secuturus Agnum cum virginum applaudentium choro, cum anima intulit; quod, duorum fide dignissimorum virorum testimonio, quibus conscientia Stanislai velut crystallum pellucida probataque fuit per confessionis sacramentum, Alphonsi Ruizii et Iulii Fatii magistrorum in spiritu, certum testatumque est.

Immo ne minimam quidem imperfectionem notari in eo potuisse, ideoque eo respectu, ut plurimum, sicut oculatus Mathias Mairhofer S. T. D. et tunc Monacensis collegii rector fide iurata reliquit, in morte hoc publicum habuit testimonium, cum praeter Societatis morem, corpus demortui floribus conspersum sepulturae illatum sit.

Nusquam a quoquam a pueritia observatus est verbo factoque maculam quampiam honestati inspersisse; immo tanta verborum actuum mentisque cautela ab iis, quae animam coinquinant, non abstinuit sed abhorruit, ut confessioni sacramentali accedens, materiam multoties absolutionis non afferret, quodque expiarent confessarii intima animi scrutati non reperirent, ut ipsi palam omnibus partim verbis, partim scriptis prodidere; idque tum pluries, tum praecipue post obitum statim, in ea quam ad socios Ruizius fecerat, exhortatione affirmavit.

Sensuum custodia, oculorum praecipue, fuerat in eo quasi inimitabilis; nam eosdem ad res mundanas, ut proxime citatus rector asserit, fere semper clausos, non demissos tantum tenuit, ne quicquam vanum respicere vel aestimare videretur, aut levissimus etiam per hanc conscientiae portam intraret pulvisculus.

In oris illa angelica specie, (erat enim forma ad naturae admirationem speciosus, ut qui illum de facie noverant tradidere), adeo sanctae puritatis fulgebat color, et purissimae immaculatum emicabat lumen integritatis, ut intuentibus tum virtutum ceterarum tum maxime pudicitiae amorem quasi afflaret, et quisquis illum respiceret, ad servandam puritatem affectum indueret stimulumque conciperet. Quod eorum, qui in se probarunt, conscientia confirmavit. quod aliorum decora facies cum scandalo sibi, Stanislai, exemplo et aedificationi esset; iidemque dum tali impuritatis genio impeterentur, e vivis sublato iam in caelum Stanislao, ad illius preces quasi ad arma confugerent semper, idque in momento, victores. In quodam Italiae sanctimonialium monasterio, una ex illud inhabitantibus, cum in molestis cogitationibus B. Aloysii opem imploraret, comparens sibi idem beatus monuit, ut eam gratiam non a se, sed a fratre suo Stanislao, cui a Deo concessum fuerat, ut in tali necessitate invocantibus succurreret, postularet. Dicto oboediens virgo fecit, petiit, et malignis instinctibus desiit molestari. De se in manuscripto annotavit P. Buriewski: *Audivi a R. P. Mlodzianowski Posnaniae, quod quidam episcopus Galliae magni nominis, habuerit imaginem beati egregie depictam et in publico palatii sui expositam. Ad hanc episcopus et ipse, et ex familiaribus eius pulsati cogitationibus pudicitiae adversis, mox recurrebant et aspectu ipsius faciei beati redibat menti serenum.* Anno 1660, matrona pressa infirmitate gravissima, cuius curationem verecundia prohibebat, voto ad beatum emisso, integre convaluit *(Hist. coll. Leop.)*.

Anno 1676, quaedam solutioris vitae noctu properans ad amasium intercipitur ab Aethiope nigrum post se trahente molossum. Destituta ope inclamat, qui venerat in mentem, beatum. Adest, in foveam ingentem detrudendam e manibus spectri liberat illam; die postero novae

vitae, maculis abstersis, concessum beneficium. *(Hist. Regn. Mar.)* Unde recte illum Alphonsus Ciaconius in Vita Pii V angelicam vitam in terris duxisse asseruit; et Abrahamus Bzovius in Paulo V Burghesio ac simul Starovolscius in Conciliorum epitome, Societatis Iesu lilium, et alius quispiam adulescentem angelicum appellavit. Et Iacobus Bidermanus, dum illi heroicarum epistularum librum tertium, in quo de nece sanctorum Innocentium ait, dedicaret, tali eum laudavit encomio : *Beato Stanislao, castissimo adulescenti, quem ex illustri domo Kostkarum in Soc. Iesu adlectum, innocentia caelitibus laudanda, nobis imitanda, certe admiranda, divis innocentibus merito sociavit; cuius ut alterius Stephani (Act. 6) intuentes in eum viderunt faciem eius tamquam faciem angeli, quod dum Augustinus (Homil. 99 de diversis) consideravit : in amico angelorum, ait, similitudo apparuit; quorum hoc vultui speciale est, quod ii quibus aliquando faciem eorum videre datum est, castitatis efficerentur amatores, ut in Tyburtio Valerianoque notatum; et liliorum nitor bonum sui odorem circumflorentibus plantis dicatur inspirare; et sanctorum Innocentium intercessioni suam plurimi debeant castitatem.*

Caput tertium.

De B. Stanislai patientia, qua pro virtute persecutiones perseveranter sustinuit.

Dum hanc virtutem describere aggredior, occurrit mihi illud, quod sacra refert historia *(Gen. 21)* congrue aptandum materiae huius loci, de Ismaele scilicet et Isaaco germanis fratribus, magni patriarchae Abrahae filiis, secum invicem ludentibus; quem lusum Apostolus Paulus *(ad Gal.)* appellat persecutionem; sed quomodo tunc is, qui secundum carnem fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita et nunc. Circa quae Apostoli verba, illa adiungit S. Hieronymus, in Quaest. Hebraicis dicens : *Apostolus ad pedes Gamalielis edoctus intellexit, lusum illum simplicem non fuisse.* Et bene; nam et S. Augustinus tract. 11 in Ioannem : *Illa lusio, illusio erat,* inquit; *illa lusio deceptionem significabat; plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt.* Displicuit Sarae lusus puerorum; aliquid novum vidit, pueros ludere. Quid vero novi lusus hic praetenderet; ex proxime citato Hieronymo disces, illum describente Ismaelem, quasi idolum quodpiam, sibi efformasse; illique cultum ut secum Isaac redderet suis se moribus conformans, cogebat, et renuentem atque in adorandis idolis licentiorique vita assimilari non volentem persequebatur, illudebat; immo, ut inter dimicantes fieri solet, — nam Hebraei pro ludentem legunt dimicantem, — verberibus pugnisque iniuriabat.

Quo tempore Viennae cum germano fratre suo Paulo cohabitavit Stanislaus, prout non raro usu venit, quamvis unius essent sanguinis senatorii, nec multum distinctis annis, moribus tamen erant diversi. Stanislaus, uti iunior Isaac secundum spiritum, ita enim de se protulisse ipsemet observatus est, cum a fratre, ut aliquantum de pietate demitteret, moneretur; " non esse se natum ad saecularia, sed ad spiritualia "; Paulus aetate senior, quamquam procul a flagitiis, de cetero florentis non multum reluctans aevi cupidinibus, quasi secundum carnem vivebat. Vestium elegantia, copiosa ac delicata mensa, liberior vita Paulo, ludicris iuventae delectari, perexiguam rationem habere cum Deo, plurimam cum paribus suis moris illi erat. Paulus ab oculis parentum remotus, sola patria retenta religione, exteris moribus tantum dabat, ut licere sibi putaret omnia, quae saeculi vanitas proponebat, splendentique lucebat varietate. Contraria omnia in deliciis Stanislao erant; solitudo, ieiunia, modestia cunctis in rebus, attenta sensuum custodia, horror mundanarum vanitatum, diuturna precatio, familiares nulli vel probatissimi, ita ut non periculosas tantum conversationes fugeret, sed etiam superfluas; vestitus simplex, nullius rei potior cura, quam conscientiae suae ratio. Stanislai deliciae libri, templa, frequens sacramentorum usus, diurna nocturnaque cogitatio Deo placere, non hominibus. Quod eo magis in minore fratre mirandum fuit, quod, cum exempla omnia ad depravandum potentia sint, et domestica quam maxime, nihil tamen is unquam a severitate sua laxavit animum, quamvis et pelliceret, et invitaret, et impelleret et prope adigeret frater. Inde, cum tanta utriusque vitam dissimilitudo distraheret, ac Paulus uti aevo anteibat, ita exercere in minorem fratrem dominatum ac ius quoddam censeret, adblandiente sibi morum similitudine, immo et exemplo eius, cui sui fratrisque cura commissa fuerat morum domusque magistri; nam et hic Stanislai carpebat non semel persequebaturque quasi nimiam pietatem; ac praeterea, ut is, qui necdum Deum caelestesque iucunditates hauserat, acerbior ex ipsa Stanislai modestia fieret; nec pati posset rectam vitam illius, quam ad suae nequibat inflectere dissolutionem, assiduum quasi ob oculos accusatorem sibi obversari, facile est intellegere quam solidam necesse sit Stanislai fuisse virtutem, quam exercitam patientiam et mansuetudinem. Namque cum virtutis splendorem non ferret, male agens, lucem odisse coepit, et spiritualem, qui secundum carnem erat, persequi, illudere. Eoque saepius praefervidus Paulum aetatis improvidae rapiebat impetus, ut innocentem fratrem, nulla alia re nisi quia ad ipsius se accommodare nolebat mores ac veluti idola, huius mundi vanitates colere, non verbis modo et probris et scommatibus, sed et verberibus male acciperet. Fuit quod haec non a solo tantum fratre, sed etiam ab aliis coaetaneis, suis contubernalibus,

pateretur, quorum aliqui de industria noctu orantem et prostratum humi pedibus conculcabant. Sed de hoc aptissime mihi visum est eorum ipsorum verba referre.

Intellexeramus, — verba canonici informatoris Stanislai sunt in processu Cracoviensi, — *eum a R. P. Provinciali Austriae efflictim Societatem petiisse; eadem opera, mores, moribus nostris toto caelo distinctis, religiosos induisse. Multam hoc nomine a D. Paulo persecutionem beatus passus est; quod ipsemet Paulus, dum referretur, praesens uberrimis lacrimis et suspiriis fatebatur ingenue; nec quicquam pacifice ab eo tempore ei loqui poterat, licet ad oculum omnes videremus eius dicta factaque pietatem et sanctitatem spirare. — Ad 1603 citra vel ultra annum, annum fere decimum attingens,* — loquitur sic Stanislaus Luczka Mlodziejowski, commendarius Piascensis, coram Officio ecclesiastico Lublinensi, — *memini Paulum germanum beati Stanislai Kostka fratrem in domo parentum meorum diversatum fuisse; ac cum, coena vespertina absoluta, familiam, quae sibi erat, domesticosque omnes, de conclavi quieti suae apparato, lectoque ac conopaeo nobiliter adornato, excedere praecepisset, ac neminem, praeterquam me, qui uti puer, inscio etiam illo, retro fornacem decumbebam absconditus, praesentem opinaretur, preces satis in longam et multam noctem, quasi securus ab oculis et auribus, Patrem caelestem, clauso super se ostio, adoraret, protraxit; flagris lorisque se caedens ac verba frequentius iterata multiplicans : " Sancte frater, deprecare Deum pro me peccatore, et paene assiduo persecutore et percussore tuo. „ Haec orans flagellansque ad lucem candelae totam absque somno noctem ille consumpsit. Nesciebam, ait ille, quid sibi tot exclamationes, fratrisque cuiusdam interpellationes vellent; existimabam praefatum dominum occisorem fratris sui esse; ac lucescente die de meo egressus situ, ubi me oculis steti, ait Paulus. " Cur hic latitasti, puer? „ Statimque numerata pecunia me donavit. Egressus, quod videram subticere non potui; sed ex familia eiusdem inquisivi, quis ille dominus esset, cur fratris cuiusdam tota nocte faceret mentionem. " Habuit, inquiebant, fratrem, quem quondam tractabat male, nunc autem miraculis Romae claret. „* Haec ex instrumento iuridico in Piaskide Paulus.

At vero alter (ut in proc. Premisl; Crac.) : *Cum imagines B. Stanislai impressae apparere et circumferri coepissent, sibi e monasterio Culmensi transmissam multoties exosculatus,* — is erat Stanislaus Kostka, thesaurarius Prussiae — *lacrimis suffusus exclamabat : " O quoties ego hunc, dum in exteris nationibus litteris nobiscum operam daret, pedibus calcavi! videlicet, quando dormientibus nobis, humi provolutus orabat „.* Haec illi paucis multa comprehendentes.

Et hoc nimirum domestici cuiusdam supplicii genus dilectissimo sibi adulescentulo, veluti alteri in domo paterna iniuriato Alexio aut

Iohanni Calibitae, admirabili consilio permittente Deo, qui innumerabiles ad sanctorum suorum probandam excolendamque virtutem ac illis multiplicandas coronas, quas minime putarent mortales, habet artes ac vias.

At hinc, multarum fecunda laudum seges Stanislao offerebatur constantissimo amatori virtutis, illud vero maxime praecaventi, ut sicut innui, Deo placeret, non fratri, saepius illud apostolicum usurpans : *Si hominibus placerem, servus Dei non essem.* Observabat Paulum, ut aetate praestantem; atque adeo illum, quem sibi suae virtutis exercendae a Deo datum agnoscebat stimulatorem, colebat quasi parentem, eidem placide obsecundabat in tempore, perque obsequia omnia tamquam domino gerebat morem, omnibus adversus illum impigre functus officiis. Famulum dixisses; nisi quod, uti caritatem fratrum, ita sedulitatem anteibat servorum; pulchroque his commercio mistis, et strenuam caritatem et voluntarium exhibebat obsequium. Nullo umquam modo conqueri auditus est; licet ita graviter affligeretur, ut nominatus aliquoties referat Pacificus ex talibus vexationibus occasionatum gravem et quasi lethalem morbum Stanislao fuisse; nullam praeferre iniuriarum memoriam, ac ne sensum quidem, sed ut citato loco ait Augustinus de Isaac : *Spiritualis ignoscit ei quasi rusticano fratri,* condonans ex corde omnia; in illa toties animo prorumpens Iobi : *Viam, quam coepi tenere, non deseram. Satius me sepulcralis obvolvet lapis, quam mundo investiar. Deo in utero matris meae signatus sum, in illum proiectus sum, hunc sequar, alium neminem, nisi te, Deus meus.*

Caput quartum

Modestia et mortificatio beati.

Eggregie hic et accommodatissime ea quae de modestia S. Bernardi vitae eius auctor asserit, apposuero : *Apparebat,* inquit ille, *in carne eius gratia quaedam spiritualis, in vultu claritas praefulgebat non terrena, sed caelestis, in oculis angelica quaedam puritas et columbina simplicitas. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internae puritatis gratiae, copiosus homo quoque videretur.* Quotquot enim Stanislaum cognoverant, mirifice illius ac simillime laudarunt modestiam. Ea, quae Sacchinus ex illis collegit, ipsius verbis propono.

Modestia eius in vultu et oculis, in gressuque et gestu ac motu omni, parcimonia linguae et verborum examen erant summa. Nec tamen umquam tristem videre erat et tetricum, sed hilarem suavemque, mire

decenti atque amabili vultu; nempe, gaudens animus deliciisque beatae vitae saginatus, multo quam adulescentia magis, faciemque aetatemque ei faciebat floridam, non per intervalla fontem summi boni regustans, sed quantum mortalitas patiebatur, assidue potans; atque adeo continue illi, quam mortalis condicio patiebatur inhaerens.

Nihil in illo, dum etiam in saeculo viveret, puerile visum fuit, ut dixi. Mansuetudo et affectuum temperantia tanta, tanta caritatis erga omnes sinceritas, cum pietate, gravitate, affabilitate tanta, ut nemini iratus, vel minime excandescens, umquam compertus sit. Denique, puer aetate, vir prudentia (ut Viennenses loquuntur litterae annuae), *carus omnibus, molestus nemini, magnum erat constantiae ac pietatis exemplum.*

Nominatim autem dexteritas in eo quaedam suavissima traditur excelluisse, in familiaribus regendis collocutionibus; ac, si quando ad media prolaberentur, ad pia argumenta revocandis, cum scite venusteque exempla e vitis sanctorum insereret, quae tamquam ipse spectasset aut easdem gessisset res, ita affectu suo ac spiritu narrans animabat. Neque haec cum praestaret, quicquam tribuebat sibi, vel de aliorum existimatione apud se deferebat, vel modestiae excedebat fines; sed mirifica adversum omnes observantia, compositione, demissione, se tamquam inter angelos versari dicens, studensque de singulis proficere, quae in unoquoque cernebat separatim, ab se deberi cuncta censebat, omnia cum pudore ruboreque virgineo exsequens. Uno verbo, eius facta et colloquia ita erant modesta et mansueta, ut ex eis eiusque familiaritate et oculorum intuitu, quos semper demissos continebat, ac motibus exterioribus, clarissime cordis et animae eius sinceritas et munditia demonstraretur, aiunt, qui eum adhuc in saeculo Viennae noverant. At Laurentius Magius, apud quem pro sua in Societatem admissione Viennae instabat, sic de modestia Stanislai, anno 1602, 22 iulii, P. Nicolao Lancicio de Nicolao Romano, loco ita nominato, italice scribit.

« De nostro carissimo et benedicto fratre Stanislao Kostka memini valde bene me illum novisse cumque eo tractasse, quando fuit in nostro convictu collegii Viennensis, ubi fuit propter modestiam et pietatem habitus tamquam angelus. In particulari non scirem quicquam, quia omnia faciebat secrete, neque se manifestabat. Hoc solum possum referre quod propter suam singularem compositionem morum, modestiam et devotionem amaretur, et omnibus admirationi esset. » Haec ille.

Quo Stanislaus ad S. Andreae noviciatum egit, eo Romae tempore Iacobus Bosgravius, post Edmundi Campiani in Anglia carcerum ac tormentorum pro fide religioneque catholica socius, appulit, et casu quopiam Urbem obiens, in Stanislaum, conovitiorum sui temporis numero immixtum, sibi a domesticis quis esset demonstratum incidit, tantamque in illius facie ac motu animi devotionem, ac compositio-

nem advertit, ac menti velut singulare quodpiam impressit exemplar, ut acri sub Elisabetha regina, quaestionum vi ad auferendamque memoriam non levi instrumento evelli sibi passus non sit; nam exinde redux, ad Sigismundi III sollicitas preces vita donatus, et in Polonia commorans, vivam quam conceperat, modestiae compositaeque devotionis Stanislai imaginem tulit; eamque, qualem vidisset, ore sanguine martyrii consecrato melius multo quam penicillo coram sociis depinxit. (Iuvenem illum devotum et compositum, visum fuisse a se. *Proc. Premisl.)*

Et vero, profectus in hac virtute curae, testes missi sunt regulae modestiae a S. P. Ignatio conscriptae, quas ille quoque manu sua in suum redegit libellum, ab ipsis ne corde quidem aut corpore recedere conatus, inter alias communes omnibus in sinu hasce gestasse observatum est. Tantae innocentiae adulescentulus et sanctitatis nullum faciebat finem integerrima illa membra et obsequentissimum corpusculum affligtandi. Saepe teneram ac delicatam carnem, voluntariis disciplinis adhuc in saeculo usque ad sanguinem, ut testis qui illi ab obsequiis fuerat Pacificus affirmabat, ieiuniis, quae ut pridie sanctissimae communionis a caena abstinens observaret, alias partim palam, partim clanculum causas, quibus a communi abstineret mensa, prudenter excogitans affligebat. Si quando vero abesse non poterat, ita dextre comedentem exprimebat, ut ieiunantis virtutem absconderet. Cibi somnique parcissimus primusque semper fuerat, qui ab illis consurgeret.

Nihil erat, quod excelsum illud pectus pertimesceret, nihil existimabat arduum, nihil supra vires ducebat suas, ostendens vim apostolici verbi : *Caritas omnia superat, omnia sustinet.* Quae diversa videbat laborum in singulis, viliumque munerum ac poenarum susceptarum sponte genera, ea ipse fame inexplebili et animo immenso appetebat universa, quaerebat avidissime, exsequebatur ardentissime.

Saepe tuo fluxit purus de corpore sanguis,
Quod nil caedebant aspera flagra reum,
Captans martyrio pulchram fugiente corollam,
Ipse tibi sanctus sponte tyrannus eras.

Samboritanus hanc virtutem sic decantat. At vero Georgius Tyszkievicius, libro, quem de perfectione conscripsit, ita loquitur : ***Beatus Stanislaus, quamvis esset innocens et sanctus, qui nulla umquam culpa mortali Deum offenderat, quod de ipso sancte testatur confessarius eiusdem P. Alphonsus Ruiz, immo in quo, ut idem et pater Iulius Fazius affirmant, nulla imperfectio notari potuit, tamen plurimos modos***

adinveniebat macerandae carnis suae mundissimae et mortificandi corporis, licet ad nutum semper spiritui oboediret.

Fecisse vero sanctae huius et sanctis amantissimae virtutis fundamenta non levia, a primis aetatis annis, Alphonsus Pianotti, in eo, quem *Diarium religiosorum,* hoc est modos practicos cottidianas operationes cum perfectione et merito agendi, appellavit, libello, auctor est, cum sic loquitur, c. 19, pag. 114 : *Mortificate vestram carnem cum afflictationibus voluntariis, non tantum cum disciplinis et ciliciis etc., sed etiam perferendo frigus ad imitationem S. Laurentii Iustiniani, qui in hieme longe erat ab igne; quemadmodum faciebat etiam B. Stanislaus, adhuc saecularis in Polonia. Ideoque de illa ab chirothecis abstinentia, de qua superius retttuli, Henricus Engelgrave in* Caelesti Pantheon *affirmat : " Illarum usui renuntiaverat, ut se frigore maceraret. Gelidissima, inquit ille, hieme, quae partes illas septemtrionales acutissimo frigore maxime adurit, B. Stanislaus, nobilis Polonus, chirothecas aliudve manuum tegumentum numquam induit. " Quamvis vero adeo alacri animo ad sui mortificationem instaret, cuncta tamen sua desideria sancta oboedientia temperabat ita, ut nemo suspicare possit, — quia solet interdum ingentibus ausis generosisque fervoribus angelum lucis ementiens pater tenebrarum, fraudis aliquid immiscere, — sive ludificationem illam daemonis, sive levitatem in his fuisse permistam; cum haec nota, germanae virtutis et fidelis character, certissimumque adversus satanae ludibria munimentum, in eo conspiceretur.*

Caput quintum

Vitae et vocationis religiosae amor et aestimatio, et in eadem insuperabilis constantia.

Non est mihi mens describendi beati huius iuvenis amorem erga statum religiosum et Societatis Institutum, quo, antequam in eam cooptaretur, ferebatur; id enim iam ex supradictis ostensum est abunde, et id admirabilis illa constantia docet in vexatione diuturna corruptelaque domestica superanda; id assidua et multiplex ut admitteretur flagitatio; id ille, quem cum titulis Almam Societatem appellans exprimebat, affectus, quod eam non levi duceret, quam adeo gravi et almo nomine honoraret; id votum eam ingrediendi, per annum et medium, ut ipse in examine, quod institui cum omnibus Societatem ingredientibus a superioribus debet, a me superius producto asseruit, manuque sua subscripsit; continuatum item votum tamdiu inquirendi, donec obtineret admissionem, conceptum; id tam

generosa fuga, tam longa, tam et laborum et discriminum plena peregrinatio; dum a propinquis, ab opibus, a deliciis, ad solitudinem, ad nuditatem, ad obscuritatem asperitatemque crucis, quaeque alia habet religiosus vigor saeculi votis adversa, incitatione maiore contendit quam avaros et ambitiosos, vel voluptatum amatores suarum furor cupiditatum agat. Sed de iis hic agam, quibus suum in religionem Societatis affectum aestimationemque, postquam admissus et receptus est, ac in iis constantiam declaravit.

Primo enim, ubi pervenit Romam et in numerum noviciorum adlectus est, quasi thesaurum tanto labore quaesitum adeptus, expleri gaudendo nequibat. Et quoniam, quod abundat in corde, id lingua personat, plerique illius sermones instituebantur de caelesti dono religiosae vocationis, nec ferme umquam sine magnificentia praeclara verborum et uberibus lacrimis. Numquam eam sine magna humilitate ac suspiriis commemorare potuit. Non solum, quod proprium est ad perfecta et summa nitentium, incusabat se ac dolebat quasi adversus tam incomparabile donum esset ingratus, sed adhuc indignissimum eiusdem beneficii obtinendi reputans. Quod hisce perbelle collaudavit Samboritanus:

Ac primum, puero suspecta vocatio iusto,
Tam semper merito grata favore fuit,
Ut sine despectuque sui gemituque profundo,
Non posset sortis commeminisse suae.

Mortalium omne genus voluisset tanti boni particeps fieri, suosque nominatim propinquos, affines, parentes, a quibus de cetero ita se disiunxerat animo, illorumque curam exuerat, ut perinique ferret eorum mentionem, solius Dei et beatissimae Matris, quibus patris et matris tribuebat nomina, contentus memoria; praesertim si opes et nobilitas, vel quidpiam, unde in se redire aestimatio posset, memoraretur.

Iam instituta Societatis tanti faciebat, tamque accommodata sibi rebatur et congruentia, ut nihil supra; in iis se, licet in ministerio rerum humilium vitae suae tempore addictus fuisset, nec ad alium in religione gradum promoveretur, permansurum cum divino auxilio, scripto etiam a me superius adducto, contestatus. Eorum lectione frequenti numquam satiari poterat, se ad illa magis ac magis usu cottidiano conformans, ut natum atque aptum seu potius a Christi gratia factum ad ea intellegeret. Nec hoc tantum contentus, regulas manu sua descriptas statim post ingressum 1561 die 8 novembris, quae inter reliquias collegii Cracoviensis asservantur et in S. Congregatione fuere exhibitae, hunc sanctum laborem in contestationem sui affectus ultra earum adimpletionem addens, continuo penes se asser-

vabat, gestabat in sinu, non minore sollicitudine ac fervore, quam evangelium Christi virgo et martyr Caecilia gestaret in pectore; quae in eodem, de quo cum de humilitate agerem innui, libello cernuntur.

Inaudierat Stanislai pater Iohannes, illum Vienna, ita ut relatum est, profugisse; nec sine gravi dolore versari secum, quo filii talem, ut putarat, temeritatem argueret, sed cum videret factum irrevocabile, nec ulla media finem allatura, quem cuperet; — quippe cum Romae agendum esset, ac Pio V sancto pontifice Romanam sedem gubernante, — more plerorumque mortalium perinde aestimare res vere atque amare liberos nescius, iram doloremque, plenis minarum probrorumque datis ad eundem litteris, evomuit. Aiebat inustam puerili eius levitate maculam splendori gentis Kostkae, inhumanissime se impieque desertum, destitutum, proditum, suum filium vilissimi instar mendiculi vagum atque erronem, Germania tota, Italia conspectum: in hac puerili fatuitate si perseverare haberet in animo, caveret umquam reviseret Poloniam; nusquam adeo fore tutum, unde vi non extraheret, proque torquibus aureis, quos ante gestasset gestaturusque fuisset, si ingenium suis dignum natalibus voluisset induere, oneratum ferro in tetrum coniecturum carcerem, ubi numquam videret diem.

Has litteras cum de Stanislai virtute certi moderatores ei reddidissent, continuo legenti, ut habebat promptissimas, eruperunt lacrimae, quidque fleret interrogatus, miseram parentum suorum deplorare se caecitatem respondit, qui dona Dei usque adeo ignorarent. Iussusque ad eas litteras respondere, in hanc rescripsit sententiam. Cum se Deus Dominus in familiarium suorum recepisset numerum, parenti nullam doloris at multiplicem laetitiae causam esse; nam ad ipsum quoque pertinere huius beneficii partem, qui filium in caelestis aula principis haberet, idque sine impensa et cura; quod nequaquam iis contingit patribus, qui apud principes, nihilo minus quam sint ipsi mortales, liberos suos collocant. Indignum quidem se, qui propter Dei amorem quicquam acerbi ferat; si tamen pro sua clementia Christus Iesus tam multa pro nobis passus, tanto munere dignaretur, haud optatius quicquam sibi ac beatius posse in hac vita evenire. Proinde quae minas ille putaret, sua esse vota. Ceterum sciret se dudum suae maiestati fidem obligasse quoad spiritus mortales artus regeret, in paupertate eidem castitateque et oboedientia serviturum. Citius, quam ut hanc fidem fallat, extrema paratum omnia necemque vel acerbissimam perpeti. Ipsi quoque parenti longe fore consultius, si filium sponte tradat commendetque Deo et gratiam ei deposcat, qua vocationis inaestimabili dono ad finem usque perseveranter respondeat, quam si facessere negotium conetur; hoc enim et irritum et ipsi praeterea noxium, illud vero

salutiferum utrique fore. Idem fratri suo, cuius litterae sub ipsum extremae infirmitatis tempus allatae fuerant, respondere meditabatur, nisi mors omnia praecidisset intenta.

Degebat eo quo Stanislaus ad Sanctum Andream tempore, inter collegii Germanici alumnos Romae Nicolaus Lassocki, canonicus post Cracoviensis et Brezinensis praepositus. Hic cum Stanislaum invisens, se ab Hosio cardinali, quas pater contra Stanislaum iras minasque foveret, accepisse eidem referret, vultu admodum laeto effusis lacrimis: *Si sciret,* respondit Stanislaus, *parens meus, quae mihi facta sunt a Deo Maximo, ne quidem cogitaret de abductione mei.* Quare implorabat sociorum preces, ut saniorem patri mentem Deus immitteret, tenebrasque illas luce suae benignitatis illustrans ad divinae, qua se vocaverat, voluntati acquiescendum accenderet.

Ita firmiter religiosissimus iuvenis sancto huic proposito inhaerebat; tanta, ut Varsevitius ait, illi erat constantia et animi fortitudo, ut velut adamas nullis ferri cederet tunsionibus. Eliae a S. Theresia in *Suae legationis Ecclesiae triumphantis contextu* placuit rem aliter narrare dicereque Stanislaum, a patre suo Iohanne, voto emisso, Societati fuisse destinatum. Sed haec narratio multum a rei veritate, vel ex hisce narratis et authenticis iuramentoque confirmatis coaetaneorum testimoniis, aberrare arguitur. Quomodo enim non iam ita illum severe corriperet per litteras, quod religionem amplexus esset, sed auderet revocare, imperare, minas interponere, ut rediret, si sibi voti facti a se conscius fuisset?

Nec desunt hucusque infames, ut sic loquar, et invidi animi ac linguae, qui mortuum quoque extra religiosum statum per figmenta et fabulas esse vellent, quando in eo non perseverasse comminiscuntur. Sed hoc perseverantiae religiosissimi iuvenis nihil officit, cum nec viventi minae et irae suorum, quominus etiam sanctitatem, quam colere ardentissime coeperat, deseruisset, tanto magis quod se artius cum religione per vota a se emissa devotissime constrinxisset; quibus supra responsum sufficienter pro veritate est, ita ut hic nonnisi mirari fortitudinem animi huius beati adulescentis, et gloriam, qua ob perseverantiam coronatur, et ob legitime obitam utramque et ob calumniosas criminationes, quas patitur, recipit, supersit.

Caput sextum

Beati Stanislai paupertatis amor et oboedientia.

Prima Christum quaerentium cura, relictis omnibus, illum sequi, ita sibi animum beati iuvenis Stanislai captivaverat, ut illi, qui cum dives esset, egenus propter nos factus est, fecisset simillimum. Cum enim

magnarum possessionum adulescens esset, ea omnia quasi stercora arbitratus ita reliquit post se, ut ad ea nusquam respexerit, sed nudus nudum sequeretur Christum, eam sibi prae ceteris religionem eligens, in qua degener aut non filius est, qui paupertatem non habet, aut non amat ut matrem. Et verum quidem est, pauca de hac virtute posteritati relicta esse ab iis, qui Stanislaum noverant; quaeque tamen sunt, appretiatam et amatam ab illo, non minus quam ceteras virtutes demonstrant.

Nullus illum, aiunt, adeo non honestis modo, sed nobilibus adeoque sublimiter natum parentibus tangebat pudor, laceris atque attritis indui vestimentis; nusquam visus est defectum quempiam eorum, quae alimento corpori vel usui esse poterant, aegre ferre; licet forte cum aliquo aliquando incommodo occurrisset. Ac si hic tantum substitisset, parum se affectus erga hanc virtutem habere testaretur, nisi etiam ipse viliora quaeque et abiectiora non eligeret tantum libentissime, sed cum ingenioso amore ubilibet procuraret, quae meliora essent profusa caritate aliis relinquens, quae peiora quasi sibi omnino deberentur designans, ut ita quasi sub cinere splendidus ignis, sub umbra lucidus sol, sub terra pretiosum aurum, omnis gloria divitis virtutibus animae illius lateret ab intus, et extra tegeretur vili, abiecto et paupere habitu. Quod Viennae ipsi quoque familiare fuisse testantur qui illum ibi noverant, hoc singulare advertendo, quod cum simplici et abiecto delectaretur vestitu, nec ulla adhiberet splendoris cuiuspiam ornamenta, etiam a portandis chirothecis, quasi superfluo quopiam, abstinuerit. Addit et illud ibidem is, qui probaverat, quod nonnisi a fratre et paedagogo coactus dum per urbem incederet, famulum se sequi pateretur.

Legum erat cunctarum et cottidianae disciplinae servantissimus; alacritatis ad obtemperandum singularis; non iussa modo moderatorum promptissime exsequens, sed etiam exactissime et punctualissime ad motum simplicem advertens; nihil, quantumvis leve in speciem, praetermittens, ut qui nec leve duceret, in quo pondus immensum aeternae gloriae inesset, operarique posset iuxta Apostolum; nec iussa per interpretationes ad suum stomachum trahens, aut ad sensum accommodans, sed oculata Deo, caeca mundo sapientia exhauriens columbina simplicitate et fidelitate summa capessens, ad eamque, quam sancti viri praescribunt, perfectionem contendens veri oboedientis, qui non quantum aut quale sit quod praecipitur, spectat, sed solo est praecepto contentus. Id cerni cum alias potuit, tum in eo quod sequitur.

Missus ad comportanda pariter cum Claudio Aquaviva ad culinam ligna, dum Claudius fervori suo obsequens aggerat, et cumulat sarcinas ad se amplius mortificandum, Stanislaus, quod certum forte

lignorum numerum. quem singulis itineribus ferrent, coquus nominaverat, demere quae numerum superarent coepit, et contestari eum se numerum nequaquam egressurum. Itaque socii quoque, quem de cetero tamquam magistrum ille venerabatur, temperandus ardor et accommodandus ad eius puriorem oboedientiam fuit. Et sane in eo magistro Claudio discipuli sui Stanislai tantum observantia placuerat, ut non solum se ad illius statim directionem composuerit, sed, quoad viveret, in supremo etiam Societatis regimine, eum multotiens in signum perfectissimae oboedientiae, coram sociis palam et privatim praedicare non desisteret.

Haec atque horum similia cum palam cernerentur ab omnibus; Iulius tamen Fatius et Alphonsus Ruizius, qui institutores et confessarii latebras quoque minimas scrutabantur animi, multo et videbant et contemplabantur iucundius, ideo habebant carissimum. Fatius nominatim de oboedientia scriptum reliquit : visam sibi in Stanislao ad eum ascendisse verticem, ad quem celsissimum inter mortales potest. Nihil ei oblatum umquam difficile, quicquid innueretur numquam tardum aut cunctantem repertum; quam ob causam, iucunde et apte illum solitus fuerat appellare *Omnipotentem*, quod omnia sibi iniuncta exsequi se posse assereret.

Accidit vero tempus, ut valetudinis causa temperare eius intentam et assiduam in Deum cogitationem necesse foret; eam ob rem iussus est spatia orandi contrahere. Inde quidem visum initio modice tangi; verum id quoque adeo tulit placide, tamque in potestate fuit rectoris, ut animi eius beata tranquillitas nullam in partem commoveretur; quod bene fundatae humilitatis documentum insigne et fidele totius sanctitatis minime fucatae, sed verae ac solidae, sapientes habent; nam fere ut quisque, maxime in meditandis divinis ac cetero cultu pietatis, dulcedine quadam impletur, ita difficillime ea inescatus voluptate, ad communem sese componit normam, et ad praesidis nutum versat.

Ornabant autem hasce divinas Stanislai laudes ipsa quoque ornamenta naturae; neque enim tanta in illo ad parendum alacritas ex hebetudine vel ignava quadam mollitudine nascebatur ingenii, sed ex certa virtute, animi inductione ac spiritu recto, quem sortitus erat, cum persuasum haberet ita singulis in rebus cum divina voluntate se cohaesurum, si quos Dei loco sumpsisset, cum iis artissime iungeretur, eorumque penitus sensum indueret. Quippe valebat ingenio, consiliique maturitate ac prudentia longe praecurrebat aetatem, linguarum praeter naturam, latinae, germanicae, italicae, quae ex scriptis ipsius videntur, sane non parva scientia. Inventusque inter eius libellos post obitum unus est, in quo cum diligenter animi sui et concessa divinitus lumina adnotasset, sane praestantis, ut aiunt, documenta sapientiae legebantur, manifesteque constabat, illam tam

illuminati ingenii ad aliorum voluntatem facillimam compositionem, nonnisi ex raro virtutis studio fuisse. Inter haec, eas quoque, quas ex ore magistri noviciorum in ordinariis praelectionibus sententias audiverat, sedulo consignaverat, advertente ad haec hisce verbis Fatio: *Enim vero dici potest, ex quo tirocinium ingressus nullum magistri verbum excidisse, quin mox adnotasset, ut opere compleret.* Ita oboedientissimus iuvenis documenta pro praeceptis sibi dari arbitrabatur; partem horum adduxi dum de humilitate agerem. Super haec etiam ordinem domesticum quem novicii tenere assolent, interseruit manu sua conscriptum; ne minimam temporis horulam expensurus, quam non ad oboedientiae regulam futuram agnovisset. Quin et eas, quas S. Ignatius ad patres, fratresque Societatis in Lusitaniam dederat de oboedientia, ex iis modum, quem tenere deberet is, qui verum se filium Ignatii gerere exprimereque contenderet, immo et regulas omnibus communes, iis se per oboedientem exsecutionem accommodans. Colligebat et ea, sicut argumentosae apes facere assolent de variorum florum pulchritudine mel odoremque sugendo, quae ad vitam religiosam, ac praecipue quae illum verum Ignatii filium comprobarent vereque illum oboedientem conducere potuissent, ex lectione librorum spiritualium, uti ex eo, quod inter sua scripta reliquit, et ego hic annecto exemplo manifestum.

Documenta quaedam utilia S. P. N. Ignatii, quibusdam distichis comprehensa per Andream Frusium Soc. Iesu theologum.

Haec documenta suis Ignatius edit alumnis,
Ut methodo parva commoda magna parent.
Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius quam superare iuvet.
Obsequium studeas praestare per omnia caecum,
Iudiciumque libens subice cuique tuum.
Ne vitia inspicias aliena, et visa recondas,
Sed propria incuses atque patere velis.
Quicquid agas, dicas, mediteris, prospice primum
Proximo an expediat, complaceatque Deo.
Sit tua spiritui libertas semper, et illam
Nec persona potens causa nec ulla gravet.
Ne facile iungas tibi consuetudine cunctos.
Spiritus et ratio quemlibet ante probent.
Exerce assidue pia mente et corpore facta,
Sis populo ut demens, sic sapis ipse Deo.
Tu in matutino vespertinoque revolvas
Haec studio et lectum dum petis, adde preces.
Deo trino et uni, laus honor et gloria.

Specimen libelli luminum ac singularia notata, si nactus fuissem post diligentissimam inquisitionem in pluribus locis factam, ubi sperabantur invenienda, — praecipue cum id decretum Urbani VIII urgeret et honor pariter quem, si luci darentur, et Deus et beatus habere potuissent. stimularet, — desiderari hic a lectore non paterer, ut et fructus, qui ex talibus in plurimos manare potuisset, omnibus aliis stimulis apud me praevaluisset.

Caput septimum

De studio orationis, et in eadem exstasibus.

Inter alia pietatis beati Stanislai indicia, singularem locum sibi vindicat oratio, cui tantum beatus iuvenis afficiebatur, ut vita eius omnis vere dici possit perpetua oratio. Ad hanc ille rectius peragendam, ad precandum Deum diuque beatorum congressu fruendum, interdiu in aedium secedebat abdita; noctu vero, postquam omnes sopor oppressisset, tacite surgebat e lectulo ac, positis humi genibus, aliquandoque prono stratus corpore procidens in faciem, in alto illo rerum omnium silentio et faventibus tenebris, divinis vocibus luminibusque, vacabat tanta mentis sensuumque applicatione, ut quamvis aut levitate iuvenili aut alio motu a suis calcaretur trudereturque coaetaneis, ne minimum quidem earum iniuriarum sensum videre erat.

Pro eo, quem semper mente fovebat, rerum divinarum gustu, dum mensae assideret, caelestibus illis epulis vescebatur in tantum, ut sui ciborumque appositorum corpori alendo oblivisceretur, frequentius factus quasi extra se. A mensa, dum domestici se lusibus recrearent, ille secedebat in templum, quantumque liceret et alias raptim sese eo proripiebat; et hoc alterum immaculatus virgo cum virgine Caecilia virtutis habiturus encomium, quod sicut illa cantantibus organis Domino decantabat, ita ille colludentibus aliis soli Deo ludenti in orbe terrarum immorabatur. Quod, quamquam multum respectus temperabat fratris, non poterat tamen cohibere, quin saepe et diu faceret. A quo aliquando monitus ut de tanta spiritualium exercitiorum aviditate demitteret, saeculoque se accommodaret, clare pieque respondit: *Ad saecularia natus non sum, sed ad spiritualia.*

Numquam visus est a me, ait nominatus Pacifius, *nisi libros sacros legere, aut orare; cottidie binis ternisque sacris intererat; festis autem diebus, quod e magistri ipsius Viennae ore acceptum, septenis, et illi sacrae vespertinaeque psalmodiae, quae cum musico concentu atque apparatu splendido in templo collegii ea tempestate celebrabantur, ad rerum sacrarum maiestatem contra haereticos conservandam. Hisce*

autem divini cultus officiis plane visu digna pietatis specie intererat, nixus genibus, immotus corpore, oculis decore submissis, manibus ferme ante pectus coniunctis, ea vero effusione animi in Deum, ea copia infundentis sese divinitatis, ut non raro abstractus a sensibus in exstasim raperetur, immo et a terra reperiretur elevatus. Quod vulgatissimum tunc Viennae erat, et ii qui viderant propalarunt. " Viennae ", inquiebat uni gravi, quem ego iam decrepita aetate cognoveram, et pio sacerdoti de Societate paedagogus Bylinscius, " vicinum templum Stanislaus " accedens, ibidem inter subsellia humi in modum crucis prostratus, et " paulo post, dimissis famulis in diversa loca, eodem situ quasi exami- " nis e terra sublevatus, brevi ad se rediens, metu perculsos rei novitate, " suaviter subridens : " Nihil est, nihil est ", ingeminando solabatur. " Hic modus secretae orationis et exstasis saepius in eo notatus.

Neque tanta illius ad orandum contentio, sepositis omnibus aliis, etiam studiorum curis, illi obfuit ad ea, quibus a parentibus fuerat applicatus, scholarum exercitamenta. Oratio enim valet ad omnia, et Rufinus Aquileiensis in Ps. 60 asserit, nihil utilius servum Dei facere posse in hoc saeculo, quam orare ; non quod per orationem aliquid ceteris excellentius lucremur, sed quod quicquid utilitatis quispiam intenderit, totum id per orationem assequi possit iuxta illud Tobiae, c. 9 : *Bona est oratio; venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sicut manifeste in Stanislao probatum est, quod quamvis in studia pietatis conferret plurimum, ac perexiguum quicquam derivaret in studia litterarum, cum tamen iam, ut supra innui, rhetoricae operam daret, in primorum e condiscipulis venit numerum. Notatum et illud, de magno, quo ad orandum ferebatur, in angelico hocce iuvene affectu, comperi, quod dum Romam peregrinaretur, atque ad meridianam vel vespertinam requietem sanctus hic peregrinus diverteret, dum alii aliis destinerentur, ille, in singulis fere diversoriis, quasi oratoriolum, ad modum altaris, imagunculis sanctorum, applicitis, raptim erigeret, pietati ardentique orandi, quo aestuabat, desiderio vel cursim satisfacturus.

Iam dum inter tirones ageret, divinarum rerum meditationi et unioni in tantum quoque deditus fuerat, ut omnino absorptus, a rebusque humanis plane alienus, nisi de divinis cogitare videretur, semper in caelum intentum non relaxabat animum. Unde sedulo moderatores advigilabant, ne immodico abreptus impetu spiritus, nequaquam pari praeditum vi terrenum vasculum immature desereret; aliquoties quasi freno quodam cohibebant, vacatione illi aliquoties ab oratione iniuncta. Ceterum ita suopte iam nutu ferebatur et acquiescebat in Deo, ut alioqui, quod ait Varsevitius, observatum fuerit a sociis, nullo illum tempore aut ministerio, excepto somno et lectionibus, ab oratione seu mentali seu vocali vacavisse.

Quamquam et tunc cor vigilabat, dum corpus dormiret. Et ita insigni dono id consecutus erat, ut ubique ac semper in divino se stare conspectu sentiret. Iulius vero Fatius, quantum observare ipse potuerit, animadversum sibi testatur, nullis inter orandum aut etiam meditandum fugacis mentis evagationibus obnoxium Stanislaum fuisse.

Contigerat aliquando, ut Stephanus Augustus, qui quasi prae ceteris cum Stanislao conversabatur confidentius, in non exiguam inciderit moeroris ac melancholiae molestiam; advertit id Stanislaus, et causam inquirit: distractiones ille causam sui moeroris esse ait, quibus se adeo agitari conquestus, ut nequaquam orare posset. Suscepit Stanislaus : *Quid vero est distractio? Ego enim quid sit ignoro.* Et vero, quo evagaretur, qui iam se totum ac penitus in oceanum immensum divinitatis immerserat, unde qua se cumque verteret non emergeret? Quomodo non ignoraret, cuius et integerrima illa caro animi didicerat affici studiis, ut posset cum regio vate profiteri : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea?*

At quam accepta haec Stanislai cum Deo coniunctio Deo, unum hic aut alterum adiungam. Marcus Francus graviter animo perturbatus, pro se ut Deum precaretur, rogavit. Cui Stanislaus : *Pariter,* inquit, *concedamus in templum.* Eunt continuo; habet Stanislaus haud longam magis quam ardentem precationem, ac repente socio mens conserenatur, eaque anxia cura evanescit, ut protinus non modo perturbatione vacuus abierit, verum etiam insigni consolatione plenus et gaudio. *Quod haec ipsa,* ait Sacchinus, *moliremur, superstes idem sacerdos et contionator perspectae religionis cum excellenti Stanislai sanctitatis testificatione rite et sancte confirmabat.*

In aula domus professae romanae plures novicii insimul orationi insistebant in mense maio, inter quos Stanislaus quoque, sed non eo quo ceteri apparatu. Nam facies illius splendore luceque caelesti radiare, non absque admiratione diuturniori tempore visa. Cumque se ab oratione cum ceteris sublevasset, faciemque lavisset aqua, flammam tamen illam non exstinxit; quod et alias, non sine admiratione, compertum. Oriente die, rubent terrae croceo colore perfusae, gemmarum quoque monilia coruscantiam transfundunt finitimis, qua ipsa radiaverint; adducta a sole vicino illuminante terras similitudine, ait Ambrosius, dum de Moysis ex consortio Domini illuminato vultu ageret. Ita, ad luminum patrem capax Stanislai anima accedens illuminabatur, ut et faciei splendorem plus quam humanum communicaret; ita in meditatione sua exardescebat intus ignis, vel, ut chaldaicum ea Psalmistae legit verba : *Ebullit cor meum in corpore meo;* ut veluti flamma aut ardens ebulliendo liquor, in exteriora exundaret, in vultum usque irradians ebulliret, et ex abundantia accensi cordis os quoque flammas caelestes luminaque loqueretur.

Caput octavum

De amore beati Stanislai in Deum et erga SS. Sacramentum et dominicam passionem observantia.

Qui diligit me, mandata mea custodit, ait Dominus, in amoris certissimum erga se testimonium mandatorum suorum perfectam observationem constituens. Haec vero beatus Stanislaus ita perfecte adimplevit, ita religiose custodivit, ut condicione non impar, virtute superior multis professis adulescens gloriari potuisset : *Haec observavi a iuventute mea;* nullatenus ullum illorum quae vel divina vel ecclesiae sunt mandata, umquam transgressus, sed quod maius et excellentius est, cum omnia ipsius dicta ac facta sanctitatem quandam prae se ferrent, nec quicquam in illis, quod vel minimo vituperio dignum iudicaretur, esset, irreprehensibilis usque ad mortem perseveravit; quam illi laudem, praeter alia, multitudo testium aevo suo conviventium ac familiari consuetudine usuque cottidiano exploratorum, sancte sacreque attribuit.

" *Ab amore sui Salvatoris,* — verba sunt v. Francisci de Sales, episcopi Gebennensis, — *fuit ita beatus Stanislaus Kostka adulescens annorum 14 fortiter incensus, ut pluries in tales incideret cordis ardores, ut cogeretur applicare ad pectus pannos aqua umectatos frigida, ad moderandam violentiam amoris quem sentiebat.* " In quo, licet huius tantarum virtutum ac sanctitatis, quam Deus adeo uberibus honoravit miraculis, beati praelati auctoritati stare sufficiens esset; ultra tamen adeo gravissimam veritatem eorum ipsorum, qui ad eum finem frigidam apportabant, illa imbuebant panniculos ac, ne opprimeretur, cordi ad mitigandum calorem apponebant, relationibus constantissime certissimeque firmatam habemus. Idque haud semel a se factitatum narravit P. Leonardus Magnanus Taurinensis, eius tum conovicius et valitudinarii curatoris adiutor, ait Ioannes Baptista Rossi, meo tempore Romae senectute confectus, in suo *Clypeo castitatis.* Orationis vero tempore, per quam unitus cum Deo castissimus illius spiritus ab igne consumenti, Deo, incalescebat, contingere id solitum observatum.

Immo, hoc eodem ardore cum et noctibus aestuaret, ad capiendam frigidiorem auram excedebat in hortulum, ac interroganti magistro noviciorum quid isthic ageret : *Uror,* inquiebat, *uror!* atque ita, et aere nocturno et frigida non poterat ille caritatis fervor temperari. Dixerim eo loci, quod Chrysostomus de Pauli aiebat caritate : ***Sicut missum in ignem ferrum totum ignis efficitur, sic ille caritate succensus,***

totus factus est caritas; et quod Sophronius : ***Totum divinus amor incanduit, ut aquae multae non potuerint exstinguere caritatem, nec flumina illam obruere.***

Amoris in Deum, infallibile indicium, ait Scachus, ***sunt exstases et raptus mentis contingentes servis Dei;*** quod amoris testimonium infallibile esse, in Sacra Rituum Congregatione, ab Illmo et Rmo Dno Petro Francisco de Rubeis, Sanctae Fidei Promotore, doctissime non minus quam piissime deductum est, dum de theologicis in beato Francisco de Sales virtutibus disputaret. De quibus quia partim proxime dum de studio orationis, partim dum de devotione et affectu in beatam Virginem agam, non repetam hic. Illud ad amorem reduco, quod ab ipso vulnerati cordis teste Gregorio Nysseno, argumentum est : ***Vulnerum,*** inquit ille, ***animae sanguis, sunt lacrimae; quodque ex ipsius Salvatoris amoenissimis alias oculis collectum fuit, dum lacrimatus esset, quod nimirum amaret Lazarum; — Samuel quoque dum lugebat Saulem, ad ignem caritatis incalescente pectore,*** Bernardus dicit, ***liquefactus intus pietatis adeps emanabat per oculos.*** Frequentes Stanislao fuerant lacrimae, sola sanctae pietatis dulcedine copiaque expressae, colliquescente intus ita ab hac flamma divini ignis corde, ut semper oculi apparerent umidi, ac sicut columbae super rivulos aquarum, quae resident super fluenta plenissima; quod sic explicavit Guillelmus, ut piarum denotent profluvia lacrimarum, semperque loquerentur divino amori : ***Vulnerasti cor meum.***

Laudis et gloriae divinae, ex quovis minimo etiam labore aut opere suscepto, cumulandae, diligens fuerat observator; quod amantium non leve est argumentum. Non solum enim, recta in iis interiore ferebatur intentione in laudem et gloriam Dei, sed id quoque post singula, quae scriptis consignabat, minutim testabatur toties in illo suo nominato a me libello, paginas illis implens in fine operis cuiuslibet verbis : ***Laus Deo, gloria Deo Trino et Uni;*** idque adeo frequenter, ut in paucis illis paginis, novies id, tamquam ad novem angelorum choros, eamque, quam illi incessanter Deo decantant, laudem reflexisset, angelicus hic iuvenis, immo angelus terrestris iteraverit.

Erga amoris divini in homines compendium, Sanctissimum Sacramentum, non minore amore, non minore quoque devotione et observantia ferebatur. Cottidie non modo divinissinum hoc Christi corpus initio scholarum ac fine salutabat, sed et multo, quam condiscipuli, frequentius, dum Viennae maneret, divina instaurabat mysteria. Postridieque corpus Domini suscepturus, quod quavis septimana, quavis sollemnium dierum celebritate festiva facere non neglexit, qua non mensae huic caelesti nobilis conviva accederet, vesperi abstinebat a caena, quo purgatior ad vivum caeli panem a mortuis

terrae escis ascenderet. Supradictus Theobulcius asservabat manu Stanislai scripta menstruae frequentiorisque confessionis testimonia, quae in diversa post a nescio quibus distracta, ut haberi a me nullo modo potuerint.

In gravem Viennae morbum incidens ea religiosissimi adulescentis animum cura angebat maxime, quod verebatur, ne absque augustissimo viatico abeundum esset e vita. Huc illius desideria, huc gemitus, huc suspiria vertebantur; hac de causa B. Barbaram V. M. patronam susceperat, ut in tali tempore experiretur advocatam. quod quam feliciter successerit, inferius audietur.

Famem huius divini cibi habuisse narratur incredibilem, ut a morituro meo tempore Romae P. Georgio Bustronio, per triginta annos Vaticanae ecclesiae paenitentiario, accepi, qui ea, ut testatus est, a Claudio Generali duobusque noviciorum magistris Stanislai coaetaneis habuerat, desideriumque videndi visitandique saltem, cum frui non liceret, continuo. Unde hisce impulsus, die sancto sanctae hebdomadis iovis, quo Romana per templa splendidius conservatur, obtinuit ut ea sepulcra visitaret, prout cum pietatis sensu, et fidei, quae castissimum eius animum decebat, demonstratione, una cum Mathia Mairhofer, quem sibi socium tunc assignatum habuerat, praestitit.

Moriturus, periucundum suae in Sanctissimam Eucharistiam pietatis et observantiae spectaculum dedit, quod cuncti animadvertere. Ubi enim primum in cubiculo sacrosanctum Domini corpus apparuit, tamquam gestiente ad dilecti sui conspectum animo, dulcissima quadam amoenitate et pulchriore solito hilaritatis flore, virgineum eius os explicatum.

Passionis dominicae, quanta illi inesset veneratio, non iam moriturus tantum spectantibus declaravit, a planta pedis usque ad verticem corpori vulnerato oscula infigens; sed et posteris, per ea quae sibi punctatim adnotaverat italico idiomate mysteria, quisque ex iis fructus percipi posset, testatus est, quae ego hic, ex eius manu appono in latinum conversa.

PUNCTA PASSIONIS CHRISTI.

De caena.

1. Agnus Paschalis, et *Unus ex vobis tradet me.* — 2. Lavit pedes discipulorum, et etiam Iudae, incipiendo a S. Petro. — 3. Instituit SS. Sacramentum in signum amoris. Finita caena, Iudas exivit, ut traderet Christum Dominum nostrum. — 4. Sermo quem fecit, ubi particulariter commendavit caritatem.

A caena usque hortum.

1. Finita caena et cantato hymno, abiit cum discipulis ad montem Oliveti, et aliquos reliquit in Gethsemani. — 2. Assumpsit secum S. Petrum et alios duos, et dicendo : *Tristis est anima mea...*, avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, et oravit ter ad Dominum, dicendo : *Pater si fieri...* — 3. Devenit in tantam agoniam, ut sudaret sanguinem, et angelus illum confortabat.

Ab horto usque ad Annam.

1. Osculum Iudae, et dicendo : *Quem quaeritis? Ego sum*, cadunt retrorsum. — 2. S. Petrus abscidit auriculam Malcho, et Dominus illum sanavit. — 3. Relictus a suis discipulis, fuit ligatus et ductus ad Annam.

In domo Annae.

1. Interrogatio Annae, et responsio Christi. — 2. Alapa.

Ab Anna usque ad Caipham.

1. Ducunt eum ligatum ad domum Caiphae, et ibi eum accusabant, et pontifex illum adiuravit an ille esset Deus, et ille respondit. — 2. Quomodo laceravit sua vestimenta pontifex, et alii dixerunt : *Reus est mortis;* et quomodo illi conspuerunt in faciem, velaverunt illi oculos, et illum irrident dicendo : *Prophetiza nobis, Christe.* — 3. Quomodo S. Petrus illum negavit, et audiendo gallum, egressus foras, respexit illum Dominus, et flevit amare. — 4. Mansit Dominus tota illa nocte ligatus.

A Caipha ad Pilatum.

1. Duxit illum tota illa multitudo Iudaeorum ad Pilatum; et ante ipsum illum accusabant dicendo : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem solvere tributum Caesari.* — 2. Postea ubi illum Pilatus semel et iterum interrogavit, dixit : *Ego nullam invenio causam in hoc homine.* — 3. Audiens quod Christus erat Galilaeus, misit illum ad Herodem, ut se liberaret ab illis.

In domo Herodis.

1. Praesentaverunt illum Herodi, et Iudaei accusabant constanter. — 2. Herodes curiosus interrogabat eum longe, et ille non respondebat ullum verbum, — 3. Herodes illum sprevit cum toto suo exercitu, induens veste alba.

A domo Herodis usque ad Pilatum.

1. Herodes remisit illum ad Pilatum, et ideo facti erant amici, quia antea erant inimici. — 2. Pilatus voluit liberare Christum, dicendo quod Herodes illum remisisset, etiam ille non invenit mortis causam in illo. — 3. Proposuit Barrabam, ut

liberaretur, vel Christum, et illi elegerunt potius Barrabam, hominem pessimum et seditiosum, et postulabant ut Christus crucifigeretur.

Flagellatio.

1. Quomodo illum exspoliarunt et flagellarunt crudeliter ad columnam. — 2. Quomodo Dominus noster se induit suis vestimentis. — 3. Quomodo Iudaei exspoliarunt illum iterum, et induerunt purpura, collocantes in una sede.

Corona de spinis.

1. Quomodo illi imposuerunt cum magna crudelitate coronam de spinis, super caput. — 2. Quomodo flectebant genua, dicendo : *Ave, rex Iudaeorum ;* postea assurgebant, et spuebant in faciem percutiendo caput arundine. — 3. Quomodo ita male habitum eduxerunt foras, et Pilatus ivit ante, dicendo : *Ecce adduco illum vobis foras;* et postea dixit : *Ecce homo ;* et ut viderunt illum pontifices, clamabant dicendo : *Crucifige eum, crucifige eum!*

A Pilato usque ad Crucem.

1. Sedens Pilatus sicut iudex, damnavit D. N. ad crucem, negantibus Iudaeis illum esse regem, dicendo : *Non habemus regem, nisi Caesarem.* — 2. Duxerunt illum ministri inferius in praetorio, et exspoliaverunt crudeliter veste purpurea, et induerunt illum vestibus suis. - 3. Quomodo imposuerunt illi crucem in umerum, et cum non posset portare illam propter magnum pondus, fuit constrictus cadere, quando mater illi obviavit. — 4. Flendo post illum illae sanctae mulieres, ille conversus dicendo : *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas.* — 5. Quomodo coegerunt Simonem Cyrenaeum ad accipiendam crucem, timendo forte ne Christus noster Dominus moreretur in via.

In monte Calvario.

1. Exuerunt eum cum magna violentia, deponentes illi etiam coronam de spinis, sicut dicunt aliqui doctores; et postea cum magna crudelitate de novo imposuerunt super caput, et dederunt ei bibere acetum et fel. — 2. Crucifixerunt illum simul cum duobus latronibus, in praesentia sanctissimae matris. — 3. Elevarunt illum in altum cum magna crudelitate.

In cruce.

I. Verba septem locutus : 1. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* 2. *Hodie eris mecum in paradiso.* 3. *Mulier, ecce filius tuus; ecce mater tua.* 4. *Sitio,* et dederunt ei bibere fel et acetum. 5. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* 6. *Consummatum est.* 7. *In manus tuas commendo spiritum meum.* — II. Blasphemiae; diviserunt illius vestimenta. — III. Quomodo exspiravit, sol obscuratus

est, petrae scissae sunt, sepulcra aperta, velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. — IV. Vulneratus lancea; exivit aqua et sanguis.

A CRUCE AD SEPULTURAM.

1. Fuit depositus de cruce a Iosepho et Nicodemo in praesentia suae Matris Dolorosae. — 2. Fuit portatus ad sepulcrum et unctus et sepultus. — 3. Fuerunt positi custodes.

In quibus haec sunt habenda : compassio, dolor de peccatis, amor versus Christum Dominum nostrum, imitatio illius quod dicitur vel quod fit in tali puncto. LAUS DEO.

CAPUT NONUM

Beati Stanislai erga Deiparam affectus et singularis devotio.

Ut inter planetas et sidera caelestes suo lumine faces accendit sol illisque splendorem quasi vitam ingenerat, inter virtutes beati Stanislai erga sanctissimam Deiparam devotio cultusque ab eo castissimae beatissimaeque virgini exhibitus splendidissimis semper eluxit fulgoribus fecitque, ut non illustraret tantum ceteros eiusdem sanctitatis ardores, sed et ipsum inter aliorum Dei Genitrici devotissime militantium gloriosum numerum statueret praecipuum ductorem.

Incredibile est quo affectu quave pietate ei se devoverit, totus in hoc unum intentus, ne vel minimum quidem eius honori deesset. Numquam aliud, dum Viennae studiis daret operam, videre erat in eius manibus frequentius nisi rosarium vel pios libellos, qui precationes ac laudes parentis sanctissimae continerent. Dederat luci et universali utilitati Fredericus Nausea, episcopus Viennensis, elucubrationes omnibus Dei Genitricis festivitatibus accommodatas plurimis, quae spiritum ac devotionem erga caeli reginam accenderent refertissimas. Has tantum sibi fecerat continua lectione familiares Stanislaus, ut numquam e manibus exciderent. Iungebat et alterum libellum, qui *Hortulus animae* dicebatur, huic quoque velut argumentosa apis florum dulcedinem collectura se totum dabat, quasi inibi dilectam sibi matrem inventurus, quam non solum sicut lilium inter spinas, sed et ipsum hortum conclusum affectu admirabili honorabat. In exercitationibus scholasticis cum pia semper tractaret sibique tractanda assumeret argumenta, dum alii alia pro more describerent ac perorarent, ille ordinarie caeli reginae laudes copiosissimo stilo honestabat. Vana illi displicebat eloquentia, quaeque non sanctum quid pia contineret materia, a studio longe removebatur, at ea vel maxime etiam inter sancta arridens, quae reginam sanctorum omnium praedicabat. Si quid in iis quibus ad studium utebatur libris scripsisset,

nil legebatur aliud quam illa devota exclamatio, illa sollemnissima iaculatoria qua omnes nudas replebat paginas : *O Maria, sis mihi propitia !*

Quam ecclesia Dei Genetrici in cottidianis a pentecoste usque ad adventum orationibus salutationem dare solet, frequenti meditatione percurrebat, tanto affectu totiusque mentis applicatione, ut non semel, dum et ab aliis *Salve Regina, mater misericordiae* cantaretur, abriperetur extra se. *Nomen vero et grata memoria* (ait Christophorus Chodkiewicz, castellanida Vilnensis, in sua de B. Stanislao oratione protreptica, quam et dixerat et typo mandaverat anno 1606, vivente adhuc, ut testatur, fratre germano beati) *Deiparae Virginis, in medullis et visceribus intimis et quidem pectus lapide feriens passim auditus est matrem suam indulgentissimam appellare.* In longo illo et molesto quod Vienna Romam usque pedes eo egerat itinere, sic ubi imaginem Deiparae conspexisset, numquam praeterivit, quin accedens aliquantumque immoratus Virginem beatissimam salutasset. Alias antequam quid aggrederetur, se ad aliquam sacram Deiparae aedem convertendo (ut referunt Barry, Nieremberg) benedictionem matris sanctissimae implorabat, certus, quod quicquid illa benedixisset foret benedictum. Eam sanctam consuetudinem etiam dum Romae novicius ageret, observavit, ac tamquam fidelis et bonorum filiorum moribus probe instructus non prius cubitum concessit quam converso ad eam partem, qua Beatae Virginis maioris templum est, vultu, profunda illam reverentia salutaret. Exinde post a magistro omnibus ordinatum fuerat, ut hocce exemplum sequerentur et partim dum se quieti daturi essent, partim ab ea consurgentes in genua prociderent eodem obversi sacratissimaeque virginis supplicarent tam pro se quam pro iis, quibus capessendae religionis mentem indidisset Deus.

Animum erga illam iam prorsus indueral filii parentemque eam in omni sermone suam appellare consueverat, nec eos qui se secundum carnem genuerant passus parentes nominari, nisi Deum et beatissimam Dei Genetricem, ut innui : *Cuius rei,* inquit Warsewitius, *ego sum testis, quod tanto cum sensu, tam simplici pulchraque ingenuitate praestabat, ut audientibus suae partem suavitatis aspergeret.*

Notavit id prae ceteris Emmanuel Sa, theologus idem et contionator et vir optimus, qui cum aliquando comitem eum ad basilicam Sanctae Mariae ad Nives duceret, quo die quoque sacra synaxi, de eiusdem patris manibus in privato domus sacello una cum supra nominato Lassocio recepta se munivit, ac percontatus esset, num eam diligeret, is humili quodam gestu et ore blandissimo respondit : *Quid quaeris, pater? Mater mea est.* Ea voce tali modo et sensu prolata valde commotus Emmanuel, cum deinde rem Patri Generali narraret, admirabundus aiebat nequaquam sibi visam eam hominis vocem.

Sane cum frequentissime de ipsa caeli regina loqueretur, nova semper et magnificentissima quibus appellaret excogitabat nomina et gradus, in quibus collocaret, altissimos, ut simul appareret, grave illi esse quod celsius quiddam ubi reponeret non inveniebat, nec exaequare verbis iudicii sui maiestatem poterat. Quos honores in caelo haberet, interrogatus ab eodem Emmanuele, dum in caelum assumptae appropinquaret dies, cum illi pauca viderentur, quae de eius gloria ab aliis dicerentur, respondit: *Ego credo, pater, novam Deum propter suam matrem gloriam creasse, omnesque sanctos ingredienti paradisum se inclinasse, et ego spero, me brevi eidem recurrenti festivitati interfuturum.* Ad quod cum multas fecisset preces sanctumque Laurentium martyrem pro intercessore interposuisset, ut ipsemet Claudio Aquavivae ceterisque in morbo sese invisentibus ac de levitate morbi disserentibus dixit, cumque magni affectus magna confidentia per eundem martyrem supplices litteras ad matrem suam conscripsisset, ut aliqui prodiderunt, ut sibi suo adesse liceret triumpho tandem obtinuit, ut ex effectu patuit, eo die quo videre matrem suam desiderabat, vita hac functus et in alteram nempe caelestem translatus. Earum materiam diligenter stilo poetico assimilatur Ioannes Vincartius in libello dicto: *Litterae BB. Aloysii Gonzagae et Stanislai Kostka,* atque ita concludit:

Ergo age, Diva, meo faveas si mater amori
  Accipe nunc verbis ultima vota meis:
Nil mihi rescribas, tua sit sed epistula morbus
  Quamque tulisti olim nunc mihi redde febrim.
Scilicet haec melius quam quaevis littera dicit
  Venarum pulsu languidiore: veni.

Sed mihi eas quae a Stanislao ipso fuissent conscriptae nec ubinam exsisterent memoriam reperire licuit. Nota erat omnibus suis conoviciis Stanislai pietas et devotio tanta erga sanctissimae Dei parentem, atque ad maiorem illi gustum et oblectationem dandam, quoties colloqui cum illo contigit, occasionem ipsi de laudibus et privilegiis Dei Genetrici concessis discurrendi subministrabant.

Ad salutationem angelicam sacrum rosarium precesque alias cum psalmis in laudem virginis confectis suavissime reficiebatur cumque quam liceret creberrime in iis exsequendis officiis versaretur; animadvertebant patres id quoque exsequi eum quadam venustate vultus et gratia usque eo extraordinaria solitum, ut plane illi a plena gratiae virgine gratiaeque parente et regina cuius inserviebat laudibus, praeter morem indita videretur.

Est qui constanter affirmet quod cum vice quadam superiorum iussu vas quoddam vitreum deportaret casuque quopiam illud ipsum

rumperetur, Stanislaum salutatione angelica recitata signoque crucis facto remedium et reparationem rettulisse. Ita illi ea sancta consuetudo ad ea etiam profuisse perspecta.

Extremam iam horam praestolans oblatam, qua valens utebatur, sanctissimae Virginis, matris, suae imaginem complexus exosculabatur amantissime, quasi satiari non posset basiis millies impressis, rosarium manu tenens neque haec arma, quibus reginae caeli militabat, illo in agone dimittens. Quod cum unus ex patribus domus professae illum invisens intuitus interrogasset, cur coronam in manu moriens teneret, dulcissimo pietatis affectu respondit: *In honorem meae matris.* Hac pia morientis voce audita, pater hortari, ut animo bono esset, Stanislaum coepit, quod brevi matrem hanc misericordiae visurus manusque illius exosculaturus esset. O quae tunc Stanislao gaudia! Exsultavit in spiritu, ac manibus in caelum extensis quasi iamiam illas, ut post se mater filium traheret, exporrigeret, laetitiamque ingentem animi declaravit. Atque ita iam ultimo Mariae matris nomine pluries inclamato ad eius amplexum abiit, quam toto cordis affectu coluit, idque e duplici titulo die Deiparae sacro, nimirum quod et festo Assumptionis subsequente in diem dominicam, ut dixi, in anno illo bissextili et sabbato in honorem Deiparae ab ecclesia consecrato praecedente, mediam sibi noctem utroque vindicante excessit; ut iam sic etiamsi 14 secundum aliquorum sententiam obiisset, nihilominus die Deiparae sacro in caelum migrasset.

Post mortem gloriosissimi martyris Lamberti Legia ipsius consecrata sanguine et ditata corpore adeo, eius suffragantibus meritis, meruit sublimari, ut ad eam, quae antea solitudo deserta fuerat, sedes episcopalis a Traiectensi oppido transferretur, urbis quoque nomen obtineret. Tempore namque beati Huberti, mirae sanctitatis viri, cuius gesta habentur, qui post praefatum martyrem gloriosum ad episcopalis excellentiae dignitatem divinitus meruit elevari, fuerunt in ea quam plures ecclesiae diversarum rerum dotatae possessionibus. Porro et alii ipsius successores decorem domus Domini diligentes, Ps. 25, mirae pulchritudinis in urbe struxerunt ecclesias et possessiones ampliarunt, sicut et adhuc hodie, nobis intuentibus, aperta satis constat demonstratione. Quorum temporibus sane credi potest quod

in ecclesia Leodiensi vigebat tranquillitas, florebat religio, et totius christianae professionis regula cum omni diligentia colebatur et observabatur; plerumque enim subditorum crescit fervor et devotio per zelum et merita praelatorum.

Exhausto autem prolixi temporis curriculo, cum adeptus esset Albero secundus episcopalis gloriam dignitatis (1), quia praelatorum (2) regularis fervor coepit tepescere, subditorum quoque paulatim, ut assolet, detrimentum sumpsit religio; mutatoque fervore fidei * in calorem vipereum, studebant omnes avaritiae, sub virtutum specie pullulante vitio, sicut rerum eventus patenter postmodum iudicavit. Praebendae namque venales erant expositae; nec iam secundum veram nominis etymologiam praebendae dici poterant, sed verius emendae, cum non a verbo praebendi, sed potius emendi vocabulum sortirentur. Similiter et alia ecclesiastica sacramenta nulli gratuito praestabantur. Porro sacerdotes, timore Dei postposito abiectaque sui ordinis debita reverentia, nulla compulsi necessitate, sed accensi flamma solius avaritiae, missam bis in die cantare et corpus Christi conficere non timebant. Sed et insuper praedictae civitatis cives filias suas passim et indifferenter absque ulla graduum discretione tam clericis quam laicis matrimoniali foedere copulabant, maioremque reputabant libertatem eas ecclesiasticis quam saecularibus desponsare personis, cum tamen per hoc potius sub peccati iugo servitute misera tenerentur. Clericus namque in sacris ordinibus constitutus, ipso sacri ordinis charactere sacrosanctam spiritualiter sibi desponsavit Ecclesiam. Unde si fortassis, quod absit, uxorem alienam superduxerit et eidem carnaliter copulari praesumpserit, iam quasi bigamiae maculam contraxisse videbitur, cum secundum Apostolum ipsum esse oporteat unius uxoris virum. Nec ea, quae superducta fuerit, legitima censebitur, sed potius adultera sive fornicaria.

(* f. 3r.) (I Tim. 3, 2.)

His et huiusmodi contaminata insolentiis, cum omni lege careret ipsa Legia, ad iracundiam provocatus est Dominus, et contra ipsius urbis incolas vehementer exacerbatus est; quibus irae suae certa consequenter patefecit indicia. Nec immerito. Quippe urbem sanctam quam, sicut praemisimus, martyris sui Lamberti meritis eis Dominus suscitaverat urbem desiderabilem, urbem omni rerum generositate refertam, pro nihilo habuerunt, et secundum cordis sui * desideria ambulantes derelinquentesque Deum factorem suum, multis et inauditis eam enormitatibus polluerunt. Verum quia in his, quae legunt vel audiunt, multi solent saepius vacillare, operae pretium est eos, a

(Baruch 4, 6. 7, etc.) (* f. 3v.) (Ep. Iud. 18.) (Deut. 32, 15.)

(1) Rexit Leodiensem ecclesiam an. 1136-45. — (2) *Praelatorum-idolum colebant* (p. 206, lin. 7) : haec exscripsit Aegidius Aureaevallensis, lib III, cap. 29 (*MG.*, Scr. t. XXV, p. 101, lin. 17 - p. 103, lin. 32).

quibus ea, quae dicturi sumus, accepimus, suppresso nomine quodammodo publicare, ut in sequentibus nihil, quod eum offendat, lector valeat invenire. Quorum unus, qui et maior natu, et rem, prout gesta est, tunc temporis quando accidit in praesenti positus intellexit (1), totus igne divini amoris succensus carnis lasciviam totis viribus refrenabat, et corpus suum perenni frangens ieiunio in holocaustum Domino iugiter se mactabat. A vino et carnibus sese propter Deum relegaverat, ita ut credas eum fuisse de filiis Rechab, nisi quod novacula caput eorum non ascendit. [I Reg. 1, 11.] Alter vero est ipse, de quo in sequenti opere plurima patere poterunt sanctitatis et religionis insignia.

[II.] Eo igitur tempore quo Albero secundus, de quo praemisimus, episcopatum regebat, Bruno archidiaconus (2) adhuc puerulus bonos suos processus quadam eleganti industria anteibat, et morum suorum lampade qualis quantusque futurus esset signis evidentibus praetendebat; cum subito die quadam circa horam nonam gravissima quaedam tempestas rubei coloris super civitatem Leodiensem coepit exoriri, quae totius urbis interitum minari videbatur. Cumque metu periculi multi canonicorum in ecclesia beati Lamberti convenissent et ad mitigandum furorem Domini contra se accensum divinis laudibus solito devotius insudarent, quidam sacerdos Salomon vocatus capitulum dicturus innuit puerulo, de quo iam dixi, ut librum, qui erat super altare sanctorum Cosmae et Damiani, sibi apportaret. Prius autem quam ille iussionem potuisset explevisse, pelvis ignea desursum veniens * in columna, quae erat super caput sacerdotis, visa est [* f. 4v.] impegisse, et de pelvi scintilla in caput eius descendens eum protinus interemit. Tandem hac tempestate sedata, cum ceteri se crederent iam periculum evasisse, ecce rursus altera glauci coloris tempestas circa horam vespertinam coepit resurgere; et quia horridior fuit quam praecedens et repetitum vulnus magis solet affligere, divinum iam sibi adesse iudicium credentes, coeperunt multo amplius formidare. Cumque inter has duas molas contriti cordis et humiliati spiritus hostias immolassent et pane lacrimarum cum vino compunctionis se cibassent, [Ps. 79, 6 et 59, 5. III Reg. 19, 7.] et, licet adhuc eis grandis restaret via, iterum se crederent periculum evasisse, ecce subito, quiescentibus omnibus, quidam eorum, oratione usque circa mediam noctem protelata, dormitorium cum impetu introivit, et ut surgerent alta voce omnibus inclamavit: *Surgite,* inquit, *fratres, nos perimus.*

Igitur, ea tempestate tota facie caeli crocei coloris exsistente, pestis illa crebris coruscationibus et tonitruis in tantum invaluit, ut respectu

(1) Bruno, ut videtur, archidiaconus, de quo cap. II. — (2) De Brunone, filio Gisleberti II ex comitibus de Duras, cfr. I. de Theux, *Le Chapitre de S. Lambert à Liége*, t. I (1871), p. 145-6.

eius duas primas diceres nec[1] fuisse. Quod enim ante non contigit, modo novissime prae angustia et timore iudicii, non dico imminentis sed praesentis, ad auxilium beatae Virginis et beati martyris concurrentes, qui erant in ecclesia constituti, altare beatae Dei genetricis coeperunt dente corrodere, ita ut usque ad tempus quo, peccatis nostris exigentibus, eadem ecclesia concremata est (1), videres in eodem altari vestigia dentium remansisse. Erat ergo videre miseriam,
* f. 4v. ut inter alta suspiria et dolorem inexplicabilem paene deficerent * universi, nisi divina bonitas citius affuisset, et eis a tanto naufragio respirare contulisset. Heu nos miseri peccatorum laqueis irretiti, quid facturi, quid dicturi sumus in illo districti examinis die, quando caelum et terra peribunt et nullus sanctorum nos poterit adiuvare, si tam tenuem procellam per nos non possumus sustinere?

Itaque nocte sequenti idem Salomon, de quo superius fecimus mentionem, cuidam socio suo in dormitorio quiescenti apparuit, et utrum dormiret inquisivit. Cui ille : *Quare*, inquit, *dulcissime comes, tam terribili iudicio percussus interisti, nisi forte religionis habitum, quem exterius frustra praetendebas, intus in corde non habebas? —*
Ps. 118, 32. *Revera*, inquit ille, *in via mandatorum Dei corde dilatato, dum adhuc viverem, exsultavi et in bonis actibus consummatus palmam aeternae beatitudinis et stolam iucunditatis impetravi. Numquid, quaeso, legisti*
Sap. 4, 7. *scriptum in libro Sapientiae : " Iustus qua morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit? " Quae enim mors umquam vilior fuit morte Salva-*
Is. 53, 3. *toris, quem morte turpissima legimus condemnatum. Unde nec reputatus est, sicut dixit Isaias. David etiam in persona ipsius dicit de*
Ps. 21, 7. 8. *ipso : " Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput. " Si vero ad membra eius respicias, invenies multos electorum eius pessima morte consummatos, nec sepulturas accepisse; nec tamen dubitas[2] eos Christo conregnare. Igitur de salute mea ne desperes; sed ad quod huc ad te missus sum, diligenter intellege, et quantum honoris quantumve gratiae apud Leodiensem ecclesiam beata Virgo promeruit, sedula discretione perpende. Cum enim praecedenti die semel et secundo pro salute Leodiensis populi filium suum exorasset, nec tamen efficaciter exaudita esset, tertia vice, quando potissimum*
* f. 5r. *tempestas invaluit, coram Filio suo se proiecit et tamquam fidelis * advocatrix in hunc modum peroravit : " Fili, per salutem illam, per quam gravidavit Gabriel archangelus latera mea, populo meo, qui est Leodii, precor te misereri ". Cuius tenerrimum affectuosumque deside-*

[1] nil *Aegidius*. — [2] dubites *Aegid.*

(1) De anno, quo id acciderit, cfr. infra p. 207, not. 2.

rium benignus Filius eius ulterius dissimulare non valens, securim sustulit iam positam ad radicem, non tamen penitus culpam ignoscens, sed poenam differens in futurum.

Sed et hic paululum immoremur. Quis ergo solum istud eius beneficium digne posset aestimare, etiam si plura per eam nobis non fierent, quandoquidem incessanti studio ipsa pro nobis vigilet et indignos gratiae conditoris iugiter nos reformat[1]? Vere tu illa es beata Virgo, qua mediante benignus Filius tuus peccata nostra, ut saltem aliquando paeniteamus, dissimulat; quae frequentius non rogata[2] pro nobis intervenis et peccatorum nostrorum sarcinam super te tollis. Maria enim est nomen tuum, quod interpretatione significat quod in peccatorum nocte naufragantibus sicut aurora consurgens solita es illucescere et lucem gratiae desuper ministrare. Vere secundum nomen tuum ita et laus tua in fines terrae diffusa est, Ps. 47, 11. quia illos tuos misericordes oculos a nobis pro foetore peccatorum numquam dignaris avertere, dummodo in amaritudine contriti cordis et humiliati spiritus nos valeas invenire.

Ex tunc autem memoria eiusdem beatae Virginis semel in septimana, cum prius numquam fieret, apud Leodiensem ecclesiam coepit inolescere, ut beneficiis eius tot et tantis saltem in aliquo videretur respondere.

His igitur ita expletis, cum iam ira Dei, quae tam graviter contra Leodienses exasperata fuerat, precibus et meritis sanctae * Mariae * f. 5v. sanctique Lamberti in misericordiam fuisset declinata, coeperunt paulatim vitia, placato metu, resurgere.

[III.] Itaque cum iam de talibus ac tantis eruti periculis gratias omnipotenti Deo agere tenerentur, quasi canes ad vomitum conver- Prov. 26, 11. tuntur; et obliti Deum, qui eos salvaverat, in anteriora crimina impudenter irruunt. Nec hoc solum eis suffecit ad suae damnationis interitum, ut in errore pristino obstinato animo persisterent; verum etiam ad deteriora provocati, deteriores effecti sunt. Quae enim latenter et in occulto facere consueverunt, nunc iam manifeste et in publico facere non formidant. Sicque factum est ut, unde correctionis materiam sumere debuissent, inde potius audaciam visi sunt assumere delinquendi. Cum enim de tam gravi tamque horribili liberati tempestate ad salutis portum pervenissent, nulla iam amplius formidabant pericula; et factus est novissimus error peior priore. Sacer- Matth. 27, 64. dotes quippe ceteraeque ecclesiasticae personae non iam suas latenter habebant concubinas, sed maiore devicti insania uxores sollemniter tamquam laici desponsabant, legitimumque talium reputabatur matrimonium. Siquidem in sollemnitatibus Paschae et

[1] *sic etiam Aeg.* — [2] quam rogata *add. Aeg.*

Pentecostes, cum sanctam ecclesiam devotius aliis diebus frequentare et Deo servire tenerentur universi populi, quampiam ex ipsis purpuratam ac diademate renitentem in eminentiore locatam loco cortinis velabant; regina quoque vocabatur. In cuius praesentia assistentes
* f. 6r. in choreis et tympanis et aliis * musicalibus instrumentis tota die coram ea psallebant, et quasi idolatrae effecti, ipsam tamquam idolum colebant (1). Taceo de ecclesiasticis sacramentis, quae nulli impendebantur, nisi prius numerata vel promissa pecunia. Adeo autem apud eos huiusmodi consuetudo, quae verius corruptela dici poterat, invaluit, quod quasi nulla vel minima inter eos reputarentur crimina fornicatio atque simonia. Eisdem (2) itaque temporibus dominus Radulphus (3), vir secundum saeculi dignitatem non infimus, avaritiae tamen facibus succensus, episcopalem adeptus est dignitatem. Qui suorum praedecessorum errorem detestandum non solum verbo approbavit, sed etiam opere adimplevit. Fecit enim non
Eccli. 31, 9. mirabilia, sed miserabilia in vita sua. Spirituale namque in temporale commutans, de incorporali[1] fecit corporale; quod esse alienum a rerum natura non dubium est. Praebendas namque in foro rerum venalium per manum cuiusdam carnificis, qui appellabatur Udelinus, senex quidem et inveteratus dierum malorum, vendi faciebat. Ad ipsum autem omnes confluebant qui praebendas emere volebant; nam in eum potestas integraliter translata fuerat mercimonii tam crudelis.

[IV]. Itaque huiusmodi erroribus cum iam irretita teneretur Legia et eisdem contaminata fuisset, suscitavit Deus spiritum sancti cuiusdam viri religiosi, qui Lambertus de Sancto Christophoro dicebatur (4). Homo iste iustus et timoratus erat; et quamvis litterarum studiis parum instructus fuisset, Christi tamen gratia repletus bestialitatem
* f. 6v. coepit ipsorum et errorem * detegere. Nec mora, tota civitas commota est; curruntque certatim populi ad insoliti sermonis praedicationem; quorum plurimi, relictis erroribus, quibus forsitan per praelatorum incuriam et neglegentiam tenebantur impliciti, se peccasse fatentes ad Deum[2] conversi sunt. Videntes igitur ecclesiarum praelati praedicationis huius opinionem invalescere suosque ritus irritari et deperire, indignati sunt dicentes: *Quis est iste vir rusticus, qui auctoritatem officiumque praedicationis sibimet usurpare indoctus praesumit?* Et

[1] incorporabili *cod.* — [2] ad eum *Aeg.*

(1) Hactenus Aegidius l. c. — (2) *Eisdem - reddiderunt* (p. 207, lin. 13): exscripsit Aegidius, l. III, c. 41 et 42 (p. 110 lin. 16-52; p. 111, lin. 1, 2 et lin. 29-35). — (3) Praefuit Leodiensi ecclesiae an. 1167-91. — (4) Postquam haec Aegidius ex Vita nostra descripserat, postea pauca quaedam hoc loco inseruit ex opere nescio quo desumpta, quibus res a Lamberto gestae uberius declararentur.

fremebant in eum, non attendentes quia *spiritus ubi vult spirat.* Sunt Ioh. 3, 8. namque nonnulli qui ita per magisterium spiritus intrinsecus docentur, ut, etsi eis exterius humani magisterii disciplina desit, magistri intimi censura non desit. Sed haec ab infirmis potius veneranda sunt quam imitanda, ne, dum se quisque similiter Spiritu sancto impletum praesumit, discipulus hominis esse despiciat et magister erroris fiat. Communicato itaque concilio, clerici praenominatum episcopum Radulphum adeunt, qui missis clientibus iussit eum comprehendi.

Igitur cum hi, qui missi fuerant, eum per ecclesiam Sanctae Mariae Sanctique Lamberti comprehensum ducerent, sacerdotes quidam et clerici, Dei timore et reverentia postpositis, in ipsa ecclesia in eum irruentes suis eum unguibus impingebant. Erectis itaque sursum oculis, respexit ad altare sanctae Mariae; et, productis ab imo pectore suspiriis, ingemuit et dixit : *Heu! heu! Ecce dies veniunt cum subtus te terram effodient porci, et quae in honore sanctorum ara dedicata es, ara* (1) *porcorum efficieris.* Quae postea sic accidisse, ut praedixerat, non dubium est. Nam cum postmodum, anno dominicae incarnationis M° C° octogesimo tertio (2), saepedicta ecclesia in honore sanctae Mariae sanctique Lamberti consecrata, concremata esset tota et illa elegans pulchritudo incendio devastata, in loco, ubi praefatum altare suum erat, visi sunt plerumque canes et porci habitare, ipsum quoque locum circumquaque polluentes * foetentem * f. 7r. et immundum reddiderunt (3).

Sub eodem (4) etiam tempore domus quaedam claustrales ipsius ecclesiae ex decreto cuiusdam imperatoris (5), qui tunc temporis casu

(1) Lege *hara*, quod est stabulum porcorum. — (2) Immo anno 1185, ut videtur. Annum quidem 1183 tradit Vitae auctor tum in codice Vindobonensi, tum in Lovaniensi illo, quo usus est Chapeavillus (cfr. *Gesta Pont. Leod.*, t. II, p. 129, not. *a)*; eundem annum in prima sua scriptione tradiderat Aegidius. Sed idem postea hunc locum correxit et pro anno 1183 annum 1185 posuit; in quo consentit cum Lamberto Parvo, monacho S. Iacobi Leodiensis *(MG.*, Scr. t. XVI, p. 648); cuius, utpote rebus actis coaetanei, praecipua est hac in re auctoritas. In Reineri (?) quidem *Breviloquio de incendio ecclesiae S. Lamberti (MG.*, Scr., t. XX, p. 620) incendium illud evenisse dicitur an. 1187; sed perperam, ut videtur (cfr. infra not. 4). — (3) Hucusque Aegidius. Igitur in *MG.*, Scr. t. XXV, p. 111, lineae 29-35 *(tota-reddiderunt)* minoribus typis imprimendae erant. Brevem hanc hagiographi nostri de isto incendio narrationem Aegidius loco bene longo interpolavit, quem ex Reineri (?) *Breviloquio* desumpsit. Erravit porro Heller *(MG.*, Scr., t. XXV, p. 111, not. 2), cum putavit auctorem Vitae Odiliae ex Breviloquio sua hausisse; nihil enim ab ipso accepit. — (4) *Sub eodem-offenderet* (p. 208, lin. 14): exscripsit Aegidius, lib. III, cap. 43 (*MG.*, t. c., p. 111, lin. 48 - p. 112, lin. 11). — (5) Henrici VI, ut videtur, qui anno 1185 *Leodium tempore autumpnali venit* (Gisleberti *Chronicon Hannoniense*, *MG.*, Scr. t. XXI, p. 549-50), ibidemque mense septembri huius anni diploma quoddam edidit (Stumpf-Brentano, *Reichskanzler*, num. 4576; Th. Toeche, *Kaiser Heinrich VI*, p. 637). Heinricus quidem hoc tempore rex dumtaxat Romanorum, nondum vero

accidente Leodium venerat, dirutae sunt. Nemo tamen sanae mentis ambigat districto Dei iudicio hoc factum fuisse. Praebendarii namque in eis commorantes comessationibus et ebrietatibus insistebant, et non diebus neque noctibus a voluptatibus et carnis illecebris vacabant. Ea vero, quae propinquius ipsi ecclesiae inhaerere videbatur, adeo[1] destructa est, ut non solum ex ea paries integer non remaneret, verum etiam nec lapis super lapidem staret. Quod miro omnipotentis Dei iudicio actum credimus, si rem gestam diligenter attendamus. Ipsa namque scortum facta publicum cunctis libidinum perversitatibus fuerat mancipata et culturae Veneris penitus dedicata. Porro homines et canes et porci ibidem habitantes et tributa ventris persolventes foetore locum impleverunt, ita ut ipse quoque foetor plerumque ad altare beati martyris ascenderet et nares circumstantium graviter offenderet (1).

Cumque diutius idem locus desolatus permansisset, tandem, Dei
Iob. 1, 1. Providentia disponente, actum est ut vir quidam innocens, simplex et rectus ac timens Deum (2), de quo inferius scribere proposuimus, ibidem habitationem construeret multorum aedificationi profuturam. Coeperunt namque ad eum plerique iuvenes concurrere; multi quoque suos ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Quos ipse summa cum devotione in lege Domini erudiens, per exempla sanctorum ad observantiam pudicitiae virginalis sollerti studio incitabat. Sicque factum est ut, ubi fornicatorum fuerat prius habitatio, ibi fieret innocentium mansio, et quae prius domus exstiterat lupanaris infamiae, facta est schola castitatis et pudicitiae.

Volens (3) itaque episcopus de viro Dei memorato clericorum votis satisfacere, iussit eum deduci et in castro de Rivonge[2] (4) incarcerari. Quod ita factum est. Ibique cum aliquantulum diu captus detineretur, Actus Apostolorum de latino in gallicum transtulit. Cui etiam scribenti
* f. 7r. Paulus Apostolus, quem ipse intimo cordis affectu diligebat * dudumque ei in ecclesia sua Leodii servierat, apparuisse dicitur, et quoddam, quod ad scribendum necessarium habebat, administravit (5). Post

[1] a Deo *Aeg.* — [2] Reuougne *Aeg.*

imperator erat; sed levis est hic error scriptoris nostri, sexaginta circiter post annos scribentis. Cèterum nullum imperatorem circa haec tempora Leodium venisse novimus praeter Fridericum I, qui ibidem anno 1171 mense septembri degebat (Stumpf-Brentano, num. 4128) et Henricum qui mox, anno nempe 1191, imperii habenas accepit. — (1) Hucusque Aegidius l. c. — (2) Iohannes nempe. — (3) *Volens - ad Dominum* (p. 209, lin. 8): exscripsit Aegidius l. c., p. 112, lin. 12-23. — (4) *Birogne, Revogne, commune de Honnay, canton de Beauraing.* De hoc viculo, cfr. *Annales de la Société archéologique de Namur*, t. VII, p. 306. — (5) De scriptis, quae sub Lamberti nostri nomipe circumferebantur, cfr. Albricum Trium Fontium

haec autem, suadentibus praelatis et clericis, consensum praebuit episcopus ut ad Romanam curiam mitteretur, et quaenam sua esset dementia, ecclesiasticae severitatis rigore compulsus recognoscere cogeretur. Summus itaque pontifex pium eius desiderium intuens veraciter intellexit quod per invidiam hoc ei factum fuisset; et misericordia motus, indulta ei licentia praedicandi, ipsum in pace remisit ad propria. Qui, dum regrederetur, viam universae carnis ingressus est, feliciterque migravit ad Dominum (1).

[V.] Sub eodem fere tempore (2) quidam episcopus Albanensis, qui tunc temporis in partibus Allemanniae legationis fungebatur officio, Legiam ingressus est (3). Et congregato clero, praedicare coepit, vitae quoque eorum contagia acri satira[1] reprehendere. Quamvis autem inter eos non mediocriter abundaret fomes subsannationis et nequitiae superbia, praedo quoque omnium bonorum tam temporalium quam corporalium necnon et spiritualium luxuria, et macri filia livoris detractio, praecipue tamen eos ad exstirpandam labem simoniacae pravitatis, per quam omnes et singuli manifeste fuerant irretiti, exhortabatur et instanter commonebat. Tunc universi cum ingenti cordis contritione infirmae conscientiae suae reatus agnoscentes, suas praebendas resignarunt, et in manus eiusdem liberaliter et absolute reportaverunt.

Tunc idem episcopus flere amarissime coepit, et misericordia motus commutationem fecit praebendarum, eos videlicet, qui in una ecclesia praebendati fuerant, in altera instituens (4); sed nec sic eos de salute sua securos reddidit. Memoratus autem Radulphus episcopus, qui tunc temporis Leodiensi praeerat ecclesiae, proprii sceleris eum acriter perurgente conscientia, crucis charactere coram omnibus insignitus est, et ad partes Hierosolymitanas peregre profectus est (5).

[1] sententia *Aeg.*

monachum. *MG.*, Scr. t. XXIII, p. 855, lin. 30-33, et Rev. Dom. I. Daris, *Notices sur les églises du diocèse de Liége*, t. V, p. 187 sqq. Hic tamen, mea quidem sententia, acri nimis censura Lambertum exagitat. — (1) Hucusque Aegidius. De anno, quo Lambertus vita functus est, non conveniunt auctores. Cum tamen noster et Lamberti obitum et Henrici Albanensis adventum sub idem tempus contigisse dicat, haud aegre cum Foullon (*Hist. Leodiensis*, t. I, p. 282) consentiam, qui ex pervetusta inscriptione annum Lamberti emortualem 1187 statuit. — (2) *Sub eodem - profectus est* (lin. 28) : haec iterum exscripsit Aegidius (t. c., p. 112, lin. 49 — p. 113, lin. 7), mutato sic initio : *His diebus Henricus Albanensis episcopus, qui....* — (3) Henricus *in capite ieiunii quadragesimae*, h. e. die 2 martii, Leodii versabatur anno 1188 (Lamberti Parvi annales, *MG.*, Scr. t. XVI, p. 649). — (4) Eadem pluribus narrat Gislebertus Hannoniensis (*MG.*, Scr. t. XXI, p. 555); cfr. etiam E. Schoolmeesters, *Bull. de la Soc. d'art et d'hist. du dioc. de Liége*, t. I, p. 188-90, maxime p. 189, not. 1. — (5) Hucusque Aegidius, qui in sequentibus asserit Radulfum anno 1190 profectum esse; at profectus est anno 1189. Cfr. Schoolmeesters, l. c., p. 190 sqq.

Qui postmodum (1) revertens ad propria, cum iam quasi in ianuis soli natalis fuisset (2), vitiatum[1] ferculum sive poculum, — utrum tamen hoc vel illud, ambigimus, — latenter sibi oblatum sumpsit (3), * f. 8r. sicque vitam * finivit (4).

Quamquam igitur saepe dicta civitas tantis tamque multiplicibus, ut praedictum est, irretita teneretur erroribus, ipsam tamen, quam suae matris precibus a peste eruerat triplicata, Dominus deperire non sustinens, tales tamque efficaces in precibus patronos ille praestare dignatus est, quorum devotione et exemplo ipsa posset in antiquis reflorere virtutibus, et sic, quam in multis offenderat, facilius Domini misericordiam invenire. Quorum vitam et actus, pauca sed fide digna scribentes e pluribus, sanctitati vestrae exponere proposuimus sub hac forma.

* f. 9r. [VI.] * In urbe Legia erat puella quaedam, parentibus secundum saeculi dignitatem non infimis exorta, nomine Odilia. Haec itaque ab ipso pueritiae tempore coepit bonae indolis adulescentula esse, et aetatem moribus transiens, in amorem supernae patriae ita exarsit, ut nulli animum voluptati daret. Unde recte Odilia nuncupata est quia cuncta, quibus delectari solet mortalium vita, eidem odibilia fuerant, et in cunctis, quibus caeleste regnum acquiritur, eius nutriebatur infantia. Mentis enim aciem in amore Creatoris omnium fixam tenebat. Pulchra facie apparebat, sed pulchrior moribus exsistebat. Stupebat aetatis novitas, quasi dierum oblita, senem in adulescentia latere; stupebat fructus maior arbore; mirabatur ager minor messe. Inter ceteras namque virtutes, quibus in aetate tenera vernabat, studebat angelicae castitatis puritatem observare, speciositatemque suam pudori virgineo conciliare. Forma etenim pudicitiae rara comes est, sed tamen aptissima.

Enimvero cum adhuc septem annorum esset, cuidam iuveni a patre pollicita est et iurata; qui videlicet iuvenis in domo genitoris ipsius puellae a puero fuerat enutritus. Is itaque favorabilem se ei reddere cupiens, huius quoque animum ad amorem suum inclinare, diversa coepit exenia tribuere ac plurima promittere. Sed puella Dei, cuius mens in amore supernorum solidata fuerat, pro nihilo omnia aestimabat, et ideo nec blandimento seduci potuit nec frangi muneribus. Unde factum est ut eum, quem sibi sponsum fore cognoverat,

[1] veneno *add. Aeg.*

(1) *Postmodum-finivit* (lin. 4): haec rursum exscripsit Aegidius, t. c.. p. 113, lin. 15-7. — (2) Scilicet in pago Herdera, prope Friburgum. — (3) Haec fabulam sapere recte notavit Heller, *MG.*, Scr. t. XXV, p. 113, not. 2. — (4) Die 13 augusti anni 1191. Reliqua pars fol. 8r vacat; in parte versa agglutinata est imago S. Odiliae Alsaticae aeri incisa.

ex corde despiceret, quia, sicut diximus, suam Domino pudicitiam integram conservare volebat. Quotiens itaque genitorem suum una cum ipso iuvene domum intraturum agnoverat, se absentabat, ne, si fortassis resalutaret, eidem videretur iuveni ex responsione sua consentire vel blandiri. Quid multa? Venit dies cum iam eam desponsare debuisset; et in amore eius perurgens animum, eam seorsum duxit; si ipsum diligeret, inquisivit. Quem cum indignanti animo, facie submissa ac torvo vultu fuisset intuita, constanter * respondit : *Si* * f. 9v. *auctoritate fungerer superioris, scires profecto quale et quantum adversum te habeam signum dilectionis. Nam collum tuum procul dubio facerem amputari.* Hoc autem ideo dicebat, quia se per eum florem pudoris virginei amissuram dolebat. Ad quae nimirum verba turbatur iuvenis, et vehementer exacerbatus eam dimittere satagebat. Pater vero puellae contra filiae suae voluntatem matrimoninum fieri procuravit; nuptias quoque ex more celebravit.

[VII.] Res mira et vehementer stupenda fuit stipula in igne manens absque incendio vel adustione. Memorata namque puella cum eodem iuvene sponso suo intra eiusdem cubiculi secreta per lustrum cohabitavit; nullum tamen sensit libidinis incentivum. Ita namque in ea peccati fomitem Spiritus sanctus exstinxerat, ut virgo integerrima et carne et spiritu permaneret. In anno autem cum esset duodeviginti, ferme per biennium (1) Dominum assiduis pulsabat precibus, ut suae voluntatis dare ei dignaretur filium, quem ilico sacris disciplinis imbuendum traderet divinoque cultui manciparet. Exaudita est itaque ipsius oratio. Nam concepit et peperit filium, vocavitque nomen I Reg. 1, 20. eius Iohannes. Et merito; Iohannes enim sonat Dei gratiam (2); quae in ipso plenius est diffusa, prout actus eius et opera in sequentibus plenius demonstrabunt.

Nec silendum hoc arbitror, quod in ipsius nativitatis exordio Dominus monstrare dignatus est. Cum enim matris exiret ab utero, inter scapulas stolae characterem gestare visus est, ut palam esset omnibus quanti futurus esset meriti, qui in matris visceribus fuerat consecratus. Mirabantur omnes et invicem loquebantur : *Quis, putas,* Luc. 1, 66. *puer iste erit?* Crevit igitur, et bonae indolis esse incipiens, in prima vigilia per mores et opera venturo sponso se studuit praeparare. Cfr. Luc. 12, 36 sqq. Porro cum de die in diem aetate proficeret et gratia, sacris littera- Luc. 2, 52. rum studiis imbuendus traditur, quod beata ipsius infantia summopere affectabat. Parentisque comitatus vestigia, perfecte mundi fugit

(1) Ex his deduci potest Odiliam filium suum Iohannem in lucem edidisse dum annum aetatis suae circiter vigesimum primum agebat. Cum autem Iohannes anno, ut videtur, 1241 mortuus sit (cfr. praef. nostram), *anno aetatis suae LV°* (lib. II, cap. 13), liquet Odiliam circa annum 1165 natam esse. — (2) Secundum Hieronymum, *De nominibus hebraicis*, passim.

lasciviam, propositum aggrediens angelicae castitatis. Sedente[1] vero eo inter socios quandoque verba proferentes scurrilia, aures statim suis obturabat digitis, ut haec eadem casto repelleret ab auditu. Quod si, ut assolet, qualiscumque horum scintillula illi subriperet, carnem propriis impingebat unguibus, ut vulneri mederi posset ex vulnere, voluptatem reprimens sub dolore, opemque Spiritus sancti efflagitans et adventum, decantabat: *Veni, sancte Spiritus,* * f. 10r. *reple tuorum * corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.* Et hoc dicto, amore divino ardens foras penitus frigescebat.

[VIII.] Expleto interea modico tempore, avus eius ipsum satis diligens, crucis insignitus charactere, tempore illo, quo proficisci debuerat, viam universae carnis ingressus est. Hic satis in egentes misericors, multa dabat pauperibus, maxime peregrinis hospitalitatis beneficium exhibendo. Qui defunctus paulo post cuidam suae filiae per visum niger et horridus apparuit; illo tamen in loco, quo crucem vivens gestaverat, instar quadrati notam habebat albedinis et crucem desuper rubicundam. Quem pavens puella cum subito fuisset intuita, mente consternata est. Cui ille ait: *Ne verearis a conspectu meo, filia carissima. Ego enim pater tuus, qui tibi loquor. Et hoc tibi signum: anulum talem tali in loco reperies ibidem a me reconditum.* De futuro quoque matrimonio certa quaedam praedixit indicia, quae vera fuisse subsequens res ipsa testata est. Inquirente autem illa statum ipsius animae, cur tam miserabilis appareret et horridus, respondit:
Iacob. 2, 13. *Deus omnipotens, iustus et misericors, cuiusque misericordia superexaltat iudi-*
Ps. 102, 10. *cium, non secundum peccata mea multa et gravia mihi retribuit, sed in multitudine*
Ps. 5, 8. *misericordiae suae misertus est mei, memor hospitalitatis et elemosynarum, quae vivens sectatus sum; de lacu inferi eripuit animam meam. Et licet gravis super modum ob peccata mihi sit indicta paenitentia, elemosynis tamen et aliis misericordiae operibus poterit relaxari. Et Iohannes quidem cognatus meus, scholaris adhuc iuvenis, olim sacerdotali fungetur officio, et ipse mihi erit in adiutorium orationum suarum suffragio.* Et hoc dicto, quasi ab imo trahens suspiria, ingemuit et dixit: *Heu! quam longa huius consolationis exspectatio, quia iam tormentorum cruciatu poenalium paene totus deficio.* O altitudo praescientiae Dei, quae sic disponit omnia et in sui dispositione non fallitur, puerum de quo nobis[2] sermo est, tantis ac talibus, quae vix credi poterunt, ut liquidum est in sequentibus, eripiens periculis, etiam, ut defunctus praedixerat, perducere dignatus[3] est ad ordinem sacer-
* f. 10v. dotis, praesertim cum vix secundus illi vel similis * in persecutionum tolerantia vel laborum affluentia, quos passus est, valeat inveniri.

[IX.] Nec silendum puto quod, cum puerulo sui compares diversa darent cognomina, et ipse aliquid speciale imponi sibi[4] rogaret ex omnibus, omnium una fuit sententia ut abbatem ipsum de cetero nominarent. Quod non ab re factum abnuimus, si gestarum rerum

[1] sedente-sub dolore: *haec manu prima in margine inferiore exarata sunt tamquam hoc loco inserenda.* — [2] *suprascriptum m. pr.* — [3] *sic.* — [4] sui *cod.*

ordinem vigilantius attendamus. Promoto enim eo in ordinem sacerdotis, cognito eius famae praeconio, multi eidem bonis educandas moribus suas commisere soboles, diebusque festivis et dominicis causa suae praedicationis scholarium in domo sua convenientium erat non minima multitudo. Quos ipse pio complectens desiderio ad sanctae conversationis informabat propositum, exhortans summopere castitatis amator et commonens suam Domino commendare pudicitiam, contra carnis vitia viriliter decertare seque sancte et pie per omnia custodire. Quorum plurimi, divina inspirante gratia, pia eius exhortatione commoniti, religionis habitum assumpserunt, sub beati Benedicti regula Domino militantes; alii sub diversis regulis scilicet Vallis Scholarium, sancti Augustini, Fratrum Praedicatorum et Minorum, ad Dominum pervenerunt. Quidam vero eorum ipsius non ferentes orbari praesentia, secum in medio saeculi conversati sunt laudabiliter et honeste. Quamobrem ille hostis antiquus huius tam felicibus actibus tantisque[1] profectibus, quorum radix iam longe lateque suos expandebat ramusculos, non mediocriter invidens, eidem ab annis coepit adversari puerilibus, tanto sibi lucrum grande amplius fieri reputans, si eum posset inclinare ad vitium, quanto e diverso damnum se dolebat incurrere, si idem puer suae malignitatis laqueos evadere potuisset.

[X.] Quadam namque nocte, cum una cum matre ab horis matutinalibus rediret ad propria, caelaturam pontis, qui pervius erat, ablatam repperit, et nisi forte mater non immemor visionis, quam in ipsa nocte praeviderat, aquam ad lumen fuisset intuita, ambo in illud praecipitium non sine vitae periculo cecidissent, cum etiam sub ponte fluvius suum terminum solito vehementius excrevisset.

Praeterea tempore quo dominus Albertus de Cuch[2] (1) Leodiensem regebat ecclesiam, cum tanta esset bladi penuria, ut quadraginta solidis * modius venderetur (2) et plerique famis inedia deperirent, * f. 11r. idem puer quicquid habebat egenis distribuens, panem quoque domi latenter subripiens, pauperibus erogabat. Igitur quadam die ad vesperum cum, panem cuidam coaetaneo suo deferens, per cuiusdam transiret claustrum ecclesiae, hostis malignus ad ipsius subito lapsus vestigia tantum fecit sonitum, ac si prope ipsius talos grandis olla cecidisset. Cumque aliquamdiu attonitus et quasi a fragore strepitus factus exanimis, divina tandem protectus virtute staret intrepidus, sanctae crucis se munivit signaculo, pergens intrepidus quo tendebat. Nequam vero spiritus post eum diu ire coepit, graviter submurmurans et mugiens ex

[1] que *add. m. pr. in marg.* — [2] Ruth *cod.*

(1) Albertus de Cuyck (alias *Cuc, Cuch)* Leodiensi ecclesiae praefuit an. 1196-1200. — (2) Cfr. Reineri Annales ad an. 1197 : *modius siliginis 40 solidis venditur (MG.,* Scr. t. XVI, p. 652).

adverso. Nocte vero altera cum ad vigilias mater et filius ire decernerent, egressi de habitaculo, tanto strepitu consternati sunt, ac si repente gradus domicilii corruissent; sed daemonis scientes versutiam et in Deo habentes fiduciam, securius ad ecclesiam perrexerunt.

[XI.] Igitur adulescens, ut praemisimus, quia castitatis amator erat praecipuus, cum aliquos, moris ut est talium, suam carnis sordibus adulescentiam maculare perciperet, condolebat plurimum, attendens nomen virginitatis etiam in terris cuius est meriti, cui cum angelis societas repromittitur in excelsis. Nec immerito. Qui enim in terris puritatem servant corporum, moribus profecto militant angelorum. Unde et suam ipsius matrem, quam in amore spiritus plurimum diligebat, viri cupiebat carere contubernio, non quod aspernaretur matrimonium, sed in castitate vivere eidem multo magis excellentius reputabat. Cum autem complacuit (Gal. 1, 15.) ei qui suam sibi ex utero matris suae segregavit famulam, ut ab omni eam carnali revocaret contagio, talem tamque continuam in cor ipsius immisit gratiam, ut deinceps spurcitias carnis impolluta mente despiciens, adhuc marito vivente, cottidie tamen per quinquennium debitum matrimonii lavabat in lacrimis, et post per biennium defuncto viro, faciebat itidem, corde simul suspirans et animo ad (* f. 11v.) totius sanctimoniam castitatis. Quae quidem sibi ipsi impatiens et incitante * se Spiritu, quasi de gravi somno evigilans, lamentabatur nimium quod in longinqua (Luc. 15, 13.) regione suam vivendo carnaliter dissipasset substantiam.

(Luc. 15, 16.) Et quia de porcorum siliquis, mundi huius deliciis, saturari non poterat, — capacem enim solius Dei animam quicquid aliud est a Deo, replere non sufficit, — super his sollicita flebat assidue, lacrimis recompensans quod invita perdiderat, et toto conamine illa rursus, quam primo cognoverat, volebat reindui gloria castitatis. Itaque facta vidua, licet adhuc iuvencula, mundi tamen se abdicavit voluptatibus et vitae tempus reliquum peragere disposuit in observantia puritatis. Quod ut concepit animo, suffragante sibi eo, qui innocentiae restitutor et amator est, cum omni mentis instantia studuit adimplere. Maerori cuius pius Iesus compatiens, (Ps. 83, 6. 8.) ascensiones in corde eius disposuit, ut de virtute transiens in virtutem, gratiam, quam petebat a Domino, reapse recipere mereretur. Tam acerbam enim ipsius spiritui suae passionis immittebat memoriam, ut salutarem quandocumque Iesu (Hebr. 1, 1.) Christi consideraret calicem, multifarie multisque modis huiusmodi satiata opprobriis et tamquam redivivis Christi sauciata vulneribus erat tota deficiens; sicque mundi huius exuta illecebris per mortem Filii Dei totius castimoniae puritate suum corpus et animam tamquam veste pulcherrima vestiebat.

(II Cor. 4, 10.) Coepit namque crucis mortificationem in pectore suo circumferre et Iesu Christi stigmata ante mentis oculos iugiter revolvere. Quorum meditatione assidua caritatis igne adeo inflammata est, ut non solum in ea peccatum locum non haberet, verum fomes carnalis illecebrae ita in ea exstinctus est penitus, ut iam ultra se nesciret feminam, vivens mulier absque mollitie mulieris. Et sicut pro salute populi mitis (Ioh. 3, 14.) ille Moyses serpentem aeneum exaltavit in eremo, sic beata mulier in suae recuperandae castitatis auxilium cottidie suo exaltabat in animo modo mirabili crucifixum. Habebat enim in suo psalterio crucifixi depictam imaginem, cuius cum

intenta mentis acie cicatrices vulnerum scissurasque verberum, spinarum aculeos et ipsum vulnus lateris gemebunda revolveret, mox * tota liquescens in lacrimas, * f. 12r. tam acerbis afficiebatur plena doloribus, ut se non ferens, doloris anxietas ipsam prorumpere compelleret in haec verba: *Memoria memor ero et tabescet in me* Thren. 3, 20. *anima mea.* Et aiebat: *Dic, quaeso, Odilia, dic, si eum, a quo es progenita, talibus ac tantis multari inspiceres poenarum iniuriis, quid haberes animi? Numquid ut frenetica te totam discerperes et ipsius vulnera tua esse reputans te corde et animo coniungeres morienti? Utique. Ergo cum rationis ordine carnem praecedat spiritus, certe, quantum mihi licuerit, omnium Deo et Patri spirituum pro me amore debito commoriar morienti.*

[XII.] Igitur his afflicta, his attrita doloribus, complevit septennium, in quo corpus proprium puritati tantae reformavit et gratiae, ut, sicut praedictum est, omni voluptatum in se destructa mollitie, sexum se gerere muliebrem penitus ignoraret. Porro per annos quattuor illius septennii spiritum blasphemiae nolens volens passa est, ut vel sic eam inimicus a recto deviaret tramite, vel, si proximorum quispiam fluctuaret hoc spiritu, per eam instructus quantocius recurreret ad salutem. Illo enim in tempore matronam quandam repperit, quam sic praedictum agitabat daemonium, quod in Mosae fluvio se mergi decerneret; sed ista venit obvia, et bonis eam confirmans sermonibus spei tandem restituit meliori. Dicebat enim talem huius esse naturam spiritus, ut, quo [1] plus abicitur, plus fugiat, et ei cum plus intenditur, artius haeret.

Elapso septennio, volens eam Dominus cessare a lacrimis, has illi suae gratiae concessit primitias ut, cum eius spiritum Christi artaret passio, mox carnem transgrediens trahebatur interius, et his quattuor epulis, pace, dulcedine, suavitate, gaudio, modo ineffabili a Domino replebatur. Hoc autem primo illi contigit, cum ipsa dedicationi in ecclesia beati Iohannis in insula Leodiensi cum ceteris fidelibus interesset. Et ab illo tempore hanc accepit gratiam, ut de Deo quotiens meditari inciperet, domi, in ecclesia, vel etiam ubiubi orans, legens vel meditans, mox relicto corpore, levabatur * in spiritu et, exclusis aegyptiis mundi huius tumultibus, sola * f. 12v. solum verum Ioseph suspicere laetabatur. O quotiens nostrae redemptionis seriem gradatim volenti percurrere infans Christus in spiritu apparuit, quem mundis apprehensum in manibus novis amplexabatur amoris affectibus; afferensque plenum aqua urceolum acceptum ab illo sene Ioseph, ipsius pueri nutricio, balneabat infantulum, sibique praestitum ad momentum ad Mariae reportabat gremium, iterumque recipiens, arridentem sibi substratis involvebat panniculis, vel certe vagientem recollocans in praesepi. Cumque talibus delibuta deliciis avidius vellet progredi, videbat a parentibus circumcidi puerum, et hoc quoque transiens sociabatur regibus sua dona ferentibus, et cum ipsis etiam Deo, regi, homini, fidei suae munera humiliter offerebat. Dehinc ad templum veniens, oblatura puerum cum Maria matre eius illisque Simeone et Anna senissimis, dulce erat inspicere speciosum forma prae filiis hominum seniorum adiocari conspectui et matrem

[1] *add. m. pr. in marg.*

sanctissimam teneris amplecti brachiolis et sub mutuis amplexibus frequentius osculari. Sed de ipsa quid prosequar ad crucis patibulum in spiritu venientem? Deus meus, adiuva me. Occurrebat siquidem contrito spiritui colaphorum tonsio, alaparum caesio, sputorum cachinnatio, faciei velatio et in cruce brachiorum extensio, pedum coartatio, clavorum infixio spinarumque punctio, demum quoque totius dominici corporis prae mortis angustia nervorum disruptio. Et quis ad haec idoneus? Materia suppetit, sed auctoris lingua balbutiens ad quod volo non sufficit eloquendum. Iam verbis cessantibus, calamus scriptoris haereat necesse est. Contemplantis etenim illic haerebat spiritus, quia torrens huiusmodi non poterat transnatari. Siquidem dulcium clavorum per manus militum primo inflicto vulnere intuentis homo totus rumpebatur interior, et tanto perfectius, quanto liber a corpore totum se transfuderat in spiritum patientis. Cui Iesus compatiens, ne prorsus deficeret, dabat illi constantiam, suo in sacro pectore suscipiens recli- * f. 13r. nantem. In hac quidem agonia tam * vehemens erat defectio, ut, in corpus proprium si tunc regredi contigisset, coartato spiritu non sustinens defecisset. Hoc itaque modo contemplando progrediens, cum crucifixum Dominum et positum in sepulcro iam de mortis tyrannide triumphantem congratulans sequeretur ad inferos, intuebatur subito obscurum illum carcerem coruscantis luminis splendore clarescere, electorumque animas, mortis effractis ianuis, redemptori suo certatim occurrere et in laudes Christi voces dare per nubila [1] osanna. Quorum congaudens gloriae exsultabat in spiritu, videns caelestis patriae per crucis claviculam reserari aditum et captivos diutius beatorum spiritus ducem sequentes praevium sanctam et amabilem ingredi civitatem. Sed in his quid immoror? Iam menti eius illa dies Ps. 117, 24. illuxerat, *dies quam fecit Dominus*, in qua glorificati hominis considerando gloriam, resurgenti [2] quodammodo videbatur assurgere et, sublata tristitia, quam de morte habuerat, exsultabat animo, et tanto iucundius, quanto solent fieri maestis et lugentibus gratiora gaudia post dolores. Redemptionis igitur humanae sic decurso mysterio, ne a pio Domino videretur deseri, cum idem ad patris dexteram locandus ascenderet, huius cum eo pariter elevabatur spiritus, ut esset comes gaudii, qui tantae exstiterat socius passionis. Temeritatis arguar, si tantam eius gloriam enodare tentaverim, si qualis ibi fuerit, quid viderit, quid senserit, sermone vel littera perscrutari voluero, cum solum illa sentiant, qui talia meruerint experiri. Hoc tantum possum dicere, quod in vitae pagina intueri poterat, quanta pro Christo postmodum debuerit sustinere. Floribus siquidem eius nec rosae nec lilia deerant guttis respersa aureis, ut haec tenens in manibus pro veri castitate lilii se quandoque cognosceret colore purpureo perenniter laureari. His saginata ferculis et istis fulta flosculis vilipendebat saeculum, nec reputans terrestria, bis vel ter cottidie tam beatis officiis elegerat occupari.

[XIII.] Praeterea cum cuiusquam martyris adveniret sollemnitas, mox rapta * f. 13v. in spiritu choros lustrabat martyrum, donec eum inveniens * ab ipso cognosceret tormentorum genera, quae et quanta passus est [3], et quonam mortis genere, relicto

[1] nubula *cod.; forsan corrigendum:* iubila. — [2] *add. m. pr. in marg.* — [3] *sic.*

carnis onere, ad superos evolasset. Quem manu tenens dextera non patiebatur regredi, donec illi promitteret quod pro ea Dominum iugiter precaretur. Cum vero Dei famulam missarum sollemniis interesse contingeret, in ipso sacro canone intuebatur parvulum circumeuntem calicem et imprimentem labio gratiosa labia et in suorum cordibus gratis suae gratiae charismata distillantem. Videbat nihilominus stellam lucidissimam in altari descendere, quae se in tres dividens particulas, tanta erat in qualibet, quanta et primo fuerat, cum minime partiretur; separatis particulis non habebat minui, nec simul redeuntibus augmentari poterat, una manens et eadem quantitas claritatis. Sic innotescere ancillae suae voluit in figura huiusmodi summae et individuae unitas Trinitatis.

[XIV.] Quodam autem tempore dum, completis more ecclesiastico paschalibus sacramentis, dominicae Ascensionis adesset sollemnitas, devota mulier Dominum iugi prece pridie pulsaverat, ut ob sui incolatus solacium aliquid solito copiosius dignaretur in festo tam celebri sibi munusculum impertiri; quod et factum est. Ab hora enim vesperi usque ad noctis terminum rapta est in spiritu, nec reverti potuit, donec festivae noctis illius fugata caligine, subsequentis diei lucifer illuxisset. Quae cum esset in spiritu, sanctorum omnium catervas praeteriens, sempiterni regis se vidit astare triclinio, cui quasi a latere lectulus totus floridus gemmarumque omnium distinctus ordinibus repente apparuit, quem quasi totum aureum sola quaedam in medio pulchra et mirabilis species argentea distinguebat. Porro allata sibi ab angelis et ipsorum deplicata manibus coram ea veste admirabili quasi ciclade auro texta, inde vestiri meruit, et in ipso lectulo sertum gestans aureum suaviter reclinari. Cuius lectuli summitati pulchra nimis insidebat aquila, ab ore cuius flamma quaedam radians * omnium, quae illic inerant, superabat * f. 14r. luminum claritatem. Per quam satis congrue beatus Iohannes datur intellegi, cuius ipsa se dicebat filiam. Nam in eius ecclesia, sicut supra dictum est (1), omnium, quae acceptura erat, praesensit primordia gratiarum. Et merito in figura aquilae manifestari voluit. Illa enim erat in spiritu; et ideo non formam sui hominis, sed spiritualem potius similitudinem dilectus ille Deo discipulus ancillae suae oculis dignatus est demonstrare. Cumque inter cetera etiam in os eius flamma quaedam rubea a patre luminum transmissa descenderet [1], flammam [2] sequens manus Domini labia eius distillando tetigit; tunc hora quasi media tantam sensit dulcedinem, ut auctorem dulcedinis illic non dubitaret [3] advenisse. Quod sciens non posse morari diutius et suae non immemor fragilitatis corporeae, oravit ad Dominum ut in eodem habitu ad eandem gratiam ante suum obitum eidem redire concederet; et meruit obtinere. Crescente igitur aetate, in tantum ei augebatur et gratia, ut ubicumque residens, amicis praesentibus, crebro esset in spiritu et rapta interius docebatur de omnibus magistra paracliti Spiritus unctione. Quod mater eius intuens, caducum morbum credidit; nam hoc factum a Domino nimium mirabile Ps. 117, 23.

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] flamma *cod.* — [3] dubitet *cod.*

(1) Cap. xii.

in ipsius oculis apparebat. Hoc autem malum se filia non habere asserens et matrem incredulam pacificare cupiens, oravit ad Dominum; et in matrem protinus gratia Dei tanta diffusa est ut rapta in spiritu eisdem, quibus et filia, semel tamen, frueretur deliciis, et tunc quae blasphemaverat, credidit vel experta. Tandemque in se rediens: *Peccavi*, inquit, *filia mi*[1], *vere enim dulcis morbus iste est, verus quidem ad vitam beatam introitus et sanctarum suavis refectio animarum.*

Prudent. Psychom. 177. [XV.] Sed quoniam minima est virtus, quam non patientia firmat, descriptis pro modulo meo paucis quidem de pluribus, quibus ancillam tuam, Iesu bone, praeveneras, virtutum muneribus, te Deum meum deprecor, ut in sequenti pagina dones illam describere, per quam ad te, servata patientia, pervenire meruit, multitudinem passionum.

* f. 14v. * Erat in ecclesia beati Dionysii apud Leodium locus quidam solitarius pacique et silentio valde conveniens, in quo ad vacandum Deo liberius[2] devota mulier singularem elegerat figere stationem. Cuius loci positio duobus hinc inde vallata pilaribus nulli erat pervia, cuiusdam[3] reclusae tantummodo fenestram ex latere repraesentans. Quae ex fenestra respiciens, cum videret eandem solitum ingredi secretarium reclinatamque in eo sic usque ad finem missae permanere immobilem, ultra modum obstupuit; illamque accersiens cum causam requireret, illa simpliciter exposuit quid sentiret. In ipsius enim pectore tanta erat simplicitas, ut quaecumque accepisset a Domino, haec dona crederet communia, non privata. Siquidem omnes Domino famulantes cuiuscumque[4] ordinis tantum suo sibi praeferebat iudicio, I Cor. 7, 27. quantum torum maritalem semper habet praecedere gloria virginalis. Alligata enim viro fuerat, et ideo non constrictos hoc vinculo putabat multo magis praeveniri a Domino munere digniori.

Reclusa quod audierat non tegens silentio, viro cuidam familiari sibi, qui tunc quidem foras religionis praetendebat indicium, hoc divulgare non timuit; quod heu! ancillae Dei mirabile fuit doloris principium et innumerabilium introductio tormentorum. Derelicto etenim vir ille, quod habuerat, cum reclusa consortio, ancillae Dei affectu et animo coepit esse vicinior, istique se applicans prorsus suum animum ab illius amicitia sequestravit. Quod videns reclusa et invidens, amicumque suum sic perdidisse existimans, mox totam in odium se dedit praecipitem; et quae primo audita benigne crediderat, nunc subsannando diiudicans dicebat apud se: *Quaenam est haec praesumptuosa mulier, quae loquens blasphemias, Dei* Sap. 2, 13. *se promittit habere scientiam et se pasci cottidie caeli deliciis gloriatur? Neque enim possibile est mulierem viduam multorum maculis peccatorum implicitam tantum habere gratiae, quantum non valet assequi Deo placens ipsa virginitas;* ignorans misera quod Martha quamvis tantum peccasse non legitur, attamen post casum paenitens Maria apud Dominum gratiam obtinuit ampliorem. *Detraham* Sap. 2, 17. *ergo illi*, aiebat, *ut videam si sermones illius veri sint; et si est vere filia Dei, liberet* Matth. 27, 40. 43. *eam de lingua mea, etiamsi vult.*

[1] *ita ubique cod.* — [2] *add. m. pr. in. marg.* — [3] -dam *add. m. pr. in marg.* — [4] -cum- *m. pr. superscript.*

Haec dixit, * et factis implens quod dixerat, viros quosdam, Iohannem scilicet de (* f. 15r.) Liero et Gillebertum de Monte Cornelii aliosque quam plurimos Christi praecones nominis convocare non timuit, inter ipsos adversus Christi famulam seminans discordias; eorumque animos sua sic commovit astutia, ut de innocente vidua quidam eorum dicerent *quia bona est*, alii vero : *non, sed seducit nos*. (Ioh. 7, 12.) Quae sine causa haberi se videns despectui, unum eorum, qui commoti fuerant, Iohannem scilicet de Liero pacificare cupiens, quaesivit flens et eiulans; cuius tandem praesentiam post triduum potuit obtinere. Cui cum vitae suae puritatem simplici enodaret eloquio, tantis ille auditis mirabilibus, quae sacro mulier eructabat a pectore, et motus ad lacrimas : *Parce*, ait, *mihi, filia mi; prorsus a Deo sunt ista quae loqueris*. Tunc illa fremens spiritu et nutu quodam bonitatis divinae sibi indicans adesse praesentiam : *In hoc*, ait, *cognoscere possum quod me Christi gratia non reliquit*. Cui ille : *Deprecor autem te*, inquit, *ut reclusae saepe dictae deinceps devites consortium et me tuis iugiter habeas in* [1] *precibus commendatum*.

His ergo omissis, ad coeptum revertamur propositum, quia quantum et quale beata vidua martyrium sustinuit, id dicendum. Igitur homo ille, causa cuius sic in ancillam Dei reclusa exarserat, civitatis non erat indigena, sed aliunde veniens probare proposuerat an Leodii novella plantatio religionis (1) iactasset in Domino stabile fundamentum; victisque ab eo per artem, quam didicerat, non minus quam septem virginibus suoque, prout vellet, subiectis arbitrio, in septima [2] vidua, non virgine, praevalere non potuit, ut miser cognosceret quod licet in aliquibus tenera adhuc et recens nimis esset religio, in eis tamen viduis sive virginibus, quas sibi Christus elegerat, fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod (I Cor. 3, 11.) positum est, quod est Christus Iesus. Oriebatur ergo inter virum et Christi famulam bicolor quaedam et non minimae diversitatis familiaritas, ab ista quidem sancta, simplex et innocens, a viro autem non sic. Cum enim idem venientis ad se floridam intueretur faciem, fixis haerebat oculis. (Cant. 4, 1.) Absque his enim, quae latebant intrinsecus, etiam a foris in eius vultu roseo gratissimae iuven*tutis quodammodo vestigia (* f. 15v.) reflorescere videbantur. Nec solum id, verum ipsa saepius manifeste coram eo sancto trahente rapiebatur Spiritu, et tunc revertenti in se humana non inerat species, sed divinus quidam splendor et decor angelicus in eius vultu, gestis et habitu mirabiliter rutilabat. Quanto autem in ea manum Domini videbat mirabilem, tanto amplius miser homo totus trahebatur ad vitium, cum potius super his, quas videbat, virtutibus gloriam Deo et ipsius ancillae reverentiam rependere debuisset. Gnarus itaque quod sapientum oculos saepe excaecant munera, (Deut. 16, 19.) illius, quia pauper erat et vidua, quibusdam elemosynis, quarum distributor fuerat assignatus, sustentabat inopiam, ut talibus eam captivaret subsidiis, quam palam

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *sic.*

(1) Puta ramusculum e Catharorum Waldensiumve stipite procreatum; isti enim, ut notum est, tunc passim in Europa pullulabant. Auctor noster, vir utique pius ac bene catholicus, Lambertum aliosque sacerdotes moribus ac religione insignes ab istis nebulonibus sedulo distinxit. Quod notasse iuvat.

sermonibus corrumpere non audebat. Cuius mulier oculo columbino acceptabat subsidium, ipsum apud Dominum lamentis et precibus pro eo satis abundantius recompensans. Hinc est quod, orationis vinculo mediante, sic suum viro illi, ignara licet, coadunaret spiritum, ut ab eius amore, etiam si vellet, non poterat separari. Et quia amor iste erat in ea aequo simplicior, propter id aliquotiens offensam Domini incurrere videbatur. Unde, et sicut longe supra dictum est (1), cum nativitatem Christi contemplari inciperet, puer ille parvulus, Iesum dico, ac si offensus graviter, quem castis manibus attrectare et eidem solebat devotis deservire obsequiis, suam illi parumper absentabat praesentiam, donec maestam et flebilem Maria refocillans sub pallio, offensum illi demulceret filium et pro more Ioseph afferente urceolum contemplantis spiritum ad hauriendum mitteret; et sic demum in gradum restituta pristinum solitis poterat obsequiis deservire. Nihilominus sua in simplicitate per-
Iob. 2, 9. manens, quem sibi assidua oratione devinxerat, etiam si vellet, non poterat non amare. Haec sunt enim orationis foedera, ut quos ipsius apud Deum coniungit instantia, nulla virtute pati possint divortium, nisi prius oratio relaxetur. Quod beatae viduae nondum erat cognitum, hoc autem est iugiter omnium memoriae commen-
f. 16r. dandum. Porro ipsa eadem, cum ad virum ire intenderet, loquebatur ad Dominum et dicebat: *Domine, si mecum veneris, vadam; alioqui ad illum pergere nullatenus acquiescam.* Cum vero Christi gratia cognosceret se repleri, tunc ad hominem securior properabat. Quam cum miser die quadam de amore requireret, illa nullas suspicata insidias: *Vestri,* inquit, *amore sic teneor, ut si mihi mortem duplicem natura concederet, pro vestra salute, quemadmodum et pro mea, mortis angustias perpeti non timerem;* sciscitantique illi huius amoris originem sic respondit: *In*
Ioh. 13, 35. *hoc cognoscent omnes quia Christi sumus discipuli, si dilectionem habuerimus ad invicem.* In cuius ille verbis sumens fiduciam, sub mento eius carni digitum applicare voluit, interrogans eam, quanam veste, cilicina an straminea, suum domaret corpusculum; non quia illi cura esset de vestibus, sed ut carnem feminae solo tangens digito amorem malevolum amplius inflammaret. Quam sibi illa non ferens inferri iniuriam, clauso pugno sic illius extensum brachium repercussit, ut confusum hominem ab ausu temerario compelleret resilire. O laudanda in femina castae aemulationis ignita dilectio; pro salute hominis sic mori decreverat, ut tamen ei solius in tactu digiti timeret propter Deum, immo et despiceret, consentire. Considerans itaque miser ille non posse in eam perficere, per artem magicam daemonum super eam convocavit concilium, ut vel eis cederet vel eorum fatigata deficeret in tormentis. Qui concessam sibi corripientes feminam tam innumeris affecere verberibus ut, quod pudet dicere, purum ab eius corpore elicientes sanguinem, ipsum, qui solus supererat, spiritum excutere nitebantur. Crebro quoque ipsam iacentem in lectulo elevantes in aere impetu tam valido remittebant in lectulum, ut ex difficultate casus quassata membra corporis solitis officiis privarentur. Providerat tamen Dominus ministrum dolori eius valde idoneum, ipsum scilicet quem habebat filium, qui semper matri die noctuque aderat, et cum eum

(1) Cap. XII.

dormitare natura compelleret, de scamno sibi culcitram et de suo sibi brachiolo fecerat capitale. Contigit autem ut die quadam mater eius exactorum fatigata * verberibus (* f. 16v.) exsilivit a lectulo, nec erubescens filium, nuda quasi mentis inops ab eo, in quo iacebat. thalamo egredi festinabat. Videns puer famae suae matris magnum imminere periculum festine illi obvians, forti camo fugientem retinuit, quia passionis dominicae palam replicando memoriam amentem quantocius ad salutem pristinam revocavit. Cuius auditis illa sermonibus, resupina corruit; quam nisi eius filius vere non quasi feminam, sed velut imaginem castis labentem excepisset in brachiis, haec non sine vitae periculo cecidisset. At cum ipsi daemones cessarent a verbere, haec statim pristinae simplicitatis non immemor ad praefatum recurrebat hominem et quem tanti non credebat auctorem sceleris, relatione humili eorum, quae patiebatur, verberum conscium faciebat. O virum nefarium, quem a tanta nequitia non revocavit pietas nec mulieris passio, sed ad maiora crimina furor ipse malevolus amplius incitavit.

Talibus in tormentis elapso quinquennio, sic in eam ars maligna praevaluit, ut licet, carne mortua, solus vigeret spiritus, quiddam voluptuosae sensualitatis doluit se sentire. Cuius delicti cum praefatum hominem vellet esse conscium, putans miser in eam suam praevalere insaniam, gavisus est et ait: *Eia, filia mi, quae olim super caelestia gradiebaris, ad cadaver corporis te reverti necesse est, et, velis nolis, senties carnis lenocinia, quae sentimus.* Cui mulier: *Si illa*, ait, *quae a Deo me separent, sentire habeo, ego domi potius ex lignis, quae ibi sunt, igne composito, vivens malo perire incendio, quam a Christo divortium sustinere.* Quo audito, vir nequam obstupuit, et illam putans aliquam meditari insaniam, discedens ab ea recessit Parisius, ut illic totius artis magicae posset instrui malitia et ne forte maximum famae detrimentum incurreret, si ea, quae eius esse spiritualis putabatur filia, daemonum succumbens malitiis tamquam scortum discurrere cogeretur. Nec sic nefando finem dedit operi, sine intermissione super illam invitando daemones, qui per eam, quam diximus, sensualitatis mollitiem in corpus eius * patulum (* f. 17r.) possederunt introitum, ut iam, passo corpore, pateretur et anima, quo in conspectu Domini de triumpho duplici purior effulgeret. Nec causeris, quisquis es, in ancilla sua Dei patris infirmatam esse potentiam, ut ob insultus daemonum labi posset ad vitium, quae novem annorum spatio sic ab eo servata est, quod carne vivens angelum, nec se sciens feminam, sexum se femineum gerere penitus ignoraret. Sed voluntate lapsa est, quia semper, ut diximus, suae pacis tempore recurrebat ad miserum et, offenso Domino, orabat pro homine. Et haec fuit ratio quare dictae sensualitatis mollitie passa sit emolliri.

[**XVI.**] Absentato viro illo, quaedam pia mulier, persona quidem sed non intentione, alterum adiit presbyterum; qui cum esset etiam peritus arte magica, eisdem quibus et prior, eam coepit infestare malitiis; et quicquid in ea primus inexpertum reliquerat, iste homo malevolus non timuit attentare. Cum vero die quadam, illo celebrante presbytero, divinis illa interesset officiis et, expleto officio, populus recessisset, sola soli minus cauta relicta est sacerdoti. Et ab eo accersita, cum variis ad invicem conferrent sermonibus, ille tempus voto suo existimans oppor-

tunum; *Salutis*, inquit, *meae cura postposita, in hoc mihi consentias, ut vicem mulieris cuiusdam, quam a domo mea expuli, tu mihi mecum esse velis domina. Et ambobus pariter Iohannes tuus filius sedule ministrabit.* Animadvertens vidua quod soli vir fortior vim inferre poterat, ex abrupto quidem respondere noluit; sed in spe manens et silentio, de caelo auxilium cordetenus expetebat. Et ecce divinitus prope locum vox tam gravis insonuit, ut, audito gemitu, illic sine dubio deprecandi gratia aliquem crederent advenisse. Quae vox et verborum viri repressit audaciam, et tantam mulieri dedit constantiam, ut statim super praemissis deliberandi petens inducias illaesa recederet, et recedens miserum magno pressum relinqueret in timore. Cum vero mulier egrediens nulla eius, qui vocem edidit
*f. 17v. huiusmodi, intueri posset vestigia, cognovit veraciter * quod in sui solacium aliquam virtutum caelestium Dominus illic dignatus est destinare. Veniensque celeriter ad quendam Gerardum nomine, vitae et famae venerabilis, tunc Sancti Gengulphi presbyterum, quantas a praedicto homine pertulerit declaravit iniurias; et ipse, prout erat iustitiae cupidus, universum super hoc Beatae Mariae convocavit capitulum, quae et quanta in sanctam Dei viduam homo ille maledicta congesserat, omnibus ex ordine manifestans. Vocatus ergo presbyter ad medium deducitur, coactusque, quod fecerat vel dixerat, celare non potuit. Sicque multa his, qui praeerant, numerata pecunia, etiam degradari debuit, si non in cleri totius contumeliam verteretur. Nec tamen sic super eum Dei quievit ultio, sed percussum scabie talis et tam misera invasit infirmitas, ut molem sui corporis sustentare in baculo cogeretur.

[XVII.] Interea doctus omni malitia prior ille vir Belial Leodium revertitur, credens beatam viduam vel insultationi acquievisse daemonum, aut resistentem hactenus inter tot discrimina mortuam defecisse. Cuius adventu cognito, venit ad ipsum mulier exsultans in animo quod redisset Leodium, cui suas posset angustias enarrare. Cumque de eo, qui interim ipsam vexaverat, mentionem faceret: *Hunc solum*, inquit ille, *et non plures tui expertus*[1] *es amatores?* Hoc autem dixit, quia licet absens tantis eam agitaverat veneficiis, quod iamdudum tamquam scortum per mundum ipsam putaverat discurrisse. Cui mulier: *Amicus*, ait, *meus non fuit ille presbyter, sed meae, si acquiescerem, proditor et perditor castitatis.* Tunc plenus ira surrexit et abiit; et conversus ad feminam: *Quicquid*, ait, *in meis accepisti muneribus, hoc a te exigam cum usura.* Ad filium autem, qui matri numquam deerat: *Vade*, ait, *vade, et matrem tuam solito vigilantius custodito.* Ab illo ergo die in sanctam insania ampliore artis suae mucrones exacuens, tam multiplici eam daemonum vexabat insania, ut non [2] solum in eam intrare praesumerent, verum linguae eius officium suis nefandis sermonibus cogerent famulari; propriis
*f. 18r. quoque se illi indicabant nominibus, ut alter se Satanam, alius * vero se vocabat Carisium, a carne nomen retrahens, quia carnis desideria diceret ministrare. Ipsum autem, qui se dicebat Satanam, quanto ei cunctis erat in dolore ferocior, tanto eum super se irruere prae ceteris formidolosius exspectabat. Et tunc primum

[1] *sic.* — [2] *add. m. pr. in marg.*

cognovit quisnam esset auctor sceleris. Ipsi enim daemones eum ex nomine coacti
sunt indicare. Sed et eas, quibus miser homo utebatur, ciborum delicias sobrio eius
offerebant appetitui, ut in odore ipsorum curreret, et quae pauper et modica saepe Cant. 1, 3.
famis laborabat inedia, ad talium concupiscentias moveretur. Interdum quoque
ipsius obtutibus ornatus pretiosi [1] praeponebant supellectilem et super haec
omnia in persona miseri taliter loquebantur : *Haec omnia tibi dabo, dummodo in* Matth. 4, 9.
tuo corpore me patiaris sensualitatis mollitie possidere. En vides, domina mea,
amica mea, filia mea, quod morti similior iam totus exarui; cui nisi parueris,
omnino deficiam et vere perpetuum mortis decidam in languorem. Loquebantur
autem in ea, prout mittentis dictabat insania, quandoque singulariter, quandoque
pluraliter, totis nitentes viribus sacrum illud corpusculum ad vitium inclinare.
Quem virum die quadam mulier aggrediens : *Quid est,* ait, *mi domine, quod in*
persona vestri multa mihi per visum offerunt daemonia? Cui ille : *Promissionibus,*
ait, *eorum utique responderem, si tu meae velles acquiescere voluntati.* Quae
respondit : *Vultis ut vos diligam, derelicto eo qui seipsum totiens trinum et unum*
Dominum claritate clarissima mihi dignatus est revelare? Videbat enim, sicut
supra dictum est, claritatem clarissimam in tres se dividentem particulas quantita-
tis eiusdem manere in qualibet, quae nec divisa minui, nec redeundo pariter poterat
augmentari. Quod verbum sic virum exterruit, ut statim eius vultui rubor magnus
adveniens repente funereum se verteret in pallorem. His habitis, illa domum
rediit, et homo malevolus ad maiora iterum crimina se convertit. Aliquando etiam
in auctorem sceleris ipsi daemones poenas volebant reflectere, quia virtutem Dei
mox futuram * noverant, cum qua non erat placidum immorari diutius, et mulieri * f. 18v
dicebant : *Maledic viro illi* [2], *maledic, ut a nobis intereat, qui te quaerit perdere, et*
cum ei maledixeris, statim te relinquere et in falsum hypocritam ingredi valea-
mus. — *Vobis,* inquit, *non parebo super haec; sed indulgeat illi Deus, cui si male-*
dicerem, hoc ipsum in me centuplum puniretis. Tunc conversi ad filium, multa ei
per os matris dicebant convicia, sic loquentes : *Quid agis, o garsio? Num tuis pro*
fletibus nos a nostra hospita poteris effugare? Non impune feres quod sic agis
contra nos; nam cum istam reliquerimus, per poenas et verbera super te salie-
mus. Alioqui si vis nos repellere, protensis manibus et flexis poplitibus [3], *nos*
adora. — *Adorent,* respondebat puer, *vos vestri similes; Dominum Deum meum*
mihi expedit adorare. Cui illi : *Quid ergo? Vides hanc mulierem? Ecce vere* Ioh. 1, 47.
Israelita. Haec est illa mulier, quae odore mirifico replebit ecclesias, quando in eis
de ea legentur in posterum plurimae lectiones (1). *O quam tristis hic immoror, quam*
dura nimis mansio; et heu! quis me liberare poterit de corpore tam sacrato? Rom. 7, 24.
Missus ab hypocrita semper tristis huc venio; sed divino in eam descendente
spiritu, tristior hinc recedo. Mox enim ipse veniet ad visitandum languidam, me et

[1] pretiosos *cod.* — [2] illic *cod.* — [3] poplicibus *cod.*

(1) Haec scripta sunt ut induceretur populus ad Odiliam cultu liturgico honorandam. Utrum res, ut volebat auctor, cesserit, incertum valde.

similes deiciens in profundum. Neque enim propter nos haec sancta deficiet, quae tota plena gratia, tota divini spiritus est adipe saginata.

Puer autem haec audiens nullum dabat responsum loquentibus, ne ex vicinitate colloquii inveteratos hospites artius imprimeret spiritui infirmantis. Pro nefas! sancti huius corporis tam vehemens erat vexatio, ut ex volubilitate capitis crines conglobati pariter pro feminae caesarie tamquam caudas murium oculis spectantium praesentabant. Puer autem, ut ad vocem suam divinum excitaret spiritum, hoc Nativitatis Domini personabat canticum: *A solis ortus cardine* (1), et cetera quae
I Reg. 16, 23. sequuntur; sic assistens vexatae matri, sicut citharizans David conturbato solebat assistere Saul regi. Necdum ille cantum finierat, et ecce in forma crucis Domino
* f. 19r. apparente, illa * Deum sentiens dilatatis faucibus exsufflabat daemones; et sicut cantici tertius praenotat versiculus, fugatis daemoniis, castae parentis viscera caelestis gratia subintrabat. Pace data paululum sedatisque daemonum doloribus, ipsa sibi locupletam satis mensam apponi faciens buccellamque panis sale tantum condiens, hoc tam diro ferculo recreabat corpusculum, aquam hauriri faciens ad bibendum. Panis etiam illi tanta erat penuria, ut si parum quid aliquando habuit farinulae, ipsam multo furfure cogebatur respergere, ut sic sibi succresceret ex coniuncto. Prandio consummato, Deo gratias referebat in haec verba: *Laus tibi, omnipotens, magne et terribilis, qui inter tot verbera panis et aquae subsidio me*
Ps. 34, 10. *praecipis sustentari. Domine, quis similis tui? Plus enim mihi quam tuo praecur-*
Matth. 3. 4. *sori praestare dignatus es; qui enim illi locustas et mel silvestre voluisti sufficere, adhuc mihi panem domesticum non negasti.* Quamquam igitur tam multis daemonum urgeretur maleficiis, dolorum tamen multitudinem tam crebra Christi laetifi-
II Cor. 4, 17. cabat consolatio, ut respectu gratiae venientis desuper leves ac momentaneas suas omnes diceret passiones. Quod ut credamus firmius, die quadam contigit ut, filio volente matrem solitum reducere in thalamum, subito tam immensa eum circumfulsit claritas, ut ipsum habitaculum igne etiam corporeo crederet concremari. Quam claritatem diligentius intuens, vidit ipsam materialis ignis speciem non habere. Quae paulatim deficiens tota super pectus mulieris sanctae visa est descendere, ut a quo radix huius processisset luminis, Dominus filio demonstraret.

[XVIII.] Ceterum quoniam ad omnia persequenda me video non posse sufficere, descripta pro modulo meo parte et parte tam modica tam immensi ipsius corporalis martyrii, ubi Patris potentia operari visa est, cum per tantum temporis, licet innumeris saepe dicta mulier urgeretur daemoniis, nusquam tamen ad vitium inclinari potuit, ubi etiam persona Filii frequenter apparuit recreando languidam suae signaculo passionis, ut trinitas [1] impleatur, nunc incumbit dicere qualiter Spiritus ipse Deus sui cooperator exstiterit martyrii spiritualis. Quemadmodum in gratiae suae exordio per eum, a quo trahebatur, obdormire consueverat,
* f. 19v. * ita et nunc [2] a nequam interius tracta spiritibus in viam ducebatur insolitam, et

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] (i. et n.) *add. m. pr. in marg.*

(1) Chevalier, *Repert. hymnol.*, num. 26.

sicut illic nihil erat in domo sua, quod eius ille magnus paterfamilias celaret affectui, sic et isti de contra quicquid erat criminis, quid carnis, quid libidinis, casto eius non timebant spiritui praesentare. Et tunc ipsa rogabat filium, ut solito ardentius invigilaret precibus, ne eius ultra spiritus viam illam horribilem ingredi cogeretur. Nam in tractu huiusmodi tantis ipsius spiritus involvebatur spurcitiis, quod in seipsam rediens lamentando diceret, si diu moraretur interius, plus posset sentire, quod ad carnem pertinet, quam in illo tempore, cum viro matrimonii debitum reddere tenebatur. Tunc puer ad solitum dominicae passionis recurrens suffragium, hoc canticum decantabat: *Pange, lingua, gloriosi praelium certaminis et super crucis trophaeo*[1] *dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit* (1). Cantus autem talis erat versiculi, qualis solet in Parasceve decantari. Cum vero illud verbum depromeret: *Dulce lignum dulces clavos, dulce pondus sustinens*, Spiritus ipse Deus spiritales huiusmodi effugabat nequitias, quas apertis faucibus iterum iterumque fatigata mulier gravi cum anhelitu mirabiliter exsufflabat. Infirmantis etiam quandoque corpusculi tanta erat vexatio, ut filio volente fronti matris signum crucis imprimere, illa reciprocatione capitis hoc non[2] velle recipere simulabat. Tunc inviti sed coacti daemones ad puerum loquebantur: *Si nos a matre vis repellere, per ipsius digitos signa facere te oportet. Nam licet sis innocens et purus a saeculo, attamen illae manus, quae suum frequentius tenuerunt Dominum, potiore gratia te praecellunt.* Qui suae matris apprehendens pollicem, sensus omnes eius et umeros crucis armabat signaculo, sicque inveteratos hospites suis deceptos sermonibus taliter effugabat. Ergo quia, ut diximus, nequaquam in corpore, sed tota in spiritu haec erat vexatio, recte sancto Spiritui annotatur victoria, qui et nequam spirituum conterebat malitiam et, sedatis doloribus, sanctam ipsius animam faciebat ardentius Domino inhaerere.

* Plane sancto Spiritui haec adscribatur victoria, quia, sicut ipse Dei vocatur digitus (2), sic per ipsius digitos, quae tota sancto replebatur Spiritu, coartati daemones fugabantur. Et sicut patientia Iob per flagella probata est, sic et istius gratia, quam olim acceperat, per eius contrarium debuit approbari. Interim eius filius, Domino disponente, ad maiorem Leodii vocatur ecclesiam; laetusque efficitur, quod dignus esset habitus beati Lamberti martyris excubiis inservire. Factusque subdiaconus (3) aspirabat animo ad graduum sequentium gratiam ampliorem. His ita se habentibus, ut vidit vir ille nefarius in sanctam viduam nil posse proficere, arti suae renuntiare disposuit; propter eam enim iam suae famae non minimum periculum imminebat. Tunc accesserunt ad eam multi, qui praefatae artis docti erant malitia, quibus per superius nominatum presbyterum sanctae mulieris patuit constantia; quorum malitiis exposita pro nefas! quasi signum est posita ad sagittam.

* f. 20r.

Thren. 3, 12.

[1] tropheum *cod.* — [2] *add. m. pr. in marg.*

(1) Ibid., num. 14481. — (2) Cfr. hymnum *Veni, creator Spiritus.* — (3) Anno circiter 1209. Certe iam anno 1210 Iohannes diaconus ordinatus est. Cfr. p. 226, not. 1 et 3.

Pro eo autem quod sui filii ad tempus corporali privabatur solatio, destitutam ab
omnibus confortabat Dominus triplici miraculo ob gratiam Trinitatis. Et merito;
tam multiplicibus [1] enim vallabatur daemoniis ut, si quaeras numerum, nec
numerus in numero, nec ipse modus etiam comprehendi poterat in mensura. Cum
ergo in ipsius interitum foris grassarentur carminatores impii et in eam tamquam
stillicidia irruerent daemonia, ac si pluere viderentur, desuper eam gladius immi-
nebat versatilis, cuius volubilitati cedentia non modo mille, sed plus quam decem
Ps. 90, 7. millia cadebant ab eius latere, ei autem non poterant propinquare; frequenter
etiam ex transverso pectoris corporalem beati Lamberti martyris sentiebat
praesentiam, qui a sua famula, quam multiplici saepe revelatione relevaverat,
feroces illas acies venerat expugnare. Interdum quoque clara et grandis aquila
sacro eius pectori insidebat, ab ore cuius magni globus luminis tamquam fulgur
egrediens totius ab ipsa nequitiae effugabat tenebras, et ipsius animam quo
radiabat lumine suaviter illustrabat. In gladii vertigine Dei Patris potentia, cuius
* f. 20v. forti potentiae resistere nemo potest; * in martyris praesentia virtus ipsa Filii,
cuius corporis martyr ipse membrum est; in figura aquilae merito Paracliti gratia
designatur. Qua visione triplici leve erat vincere, quicquid saluti animae adversatur.
Et de his hactenus.

[XIX.] Interea sacer eius filius excubans secus feretrum gloriosi martyris
Luc. 2, 52. crescebat in gratia apud Deum et homines; factusque inexorabilis sui castigator
Act. 9, 22. corporis convalescebat et confundebat daemones, vigiliis et precibus et veste cilicii
carnis a se vitia satagens exstirpare. Eo autem tempore contigit maiorem
cum suo antistite dissentire ecclesiam (1); et tunc in Monte Publico (2)
celebratis idem praesul ordinibus, nostrum iuvenem iam factum sub-
diaconum ordinavit diaconum, et ipsum post modicum (3) in beati
Petri [2] basilica promovere dignatus est in ordinem sacerdotis. Qui noctis
Eccli. 39, 6. vigilias vigilando praeveniens, ut traderet cor suum ad orandum diluculo ad
Dominum, cum intente orationi incumberet, ille, cui bonorum profectibus invidere
proprium est, frequenter aderat repentinum strepitum commovens ex adverso.
Quem ille venisse intellegens, causam sui adventus requirebat: *Fera,* inquiens,
bestia, quid hic quaeris? quid me molestas? In quo tempore, sicut nobis postea
ipse testatus est, tantas carnis sensit molestias, ut, licet illud carum sibi cilicium
astringeret et in lapide sibi reclinatorium constitueret et parcitate victus se nimis

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *add. m. pr. in marg.*

(1) In Reineri Annalibus an. 1210 relatum est: *Seditio magna est orta inter episcopum et clericos maioris ecclesiae pro diversis causis, et moneta, et maxime pro beneficio cenae, quam idem episcopus volebat eis quasi de iure subtrahere (MG.,* Scr. t. XVI, p. 663). — (2) In ecclesia S. Martini (Saint-Martin-en-Publémont), ut videtur. — (3) Puta sub finem anni 1210 vel anno 1211. Praeclare exinde confirmatur sententia nostra (vid. supra, p. 198), Iohannem anno 1241 obiisse. Tradit enim alibi auctor noster (lib. II, cap. 13), Iohannem, cum diem obiret, annum egisse sacerdotii sui trigesimum.

affligeret, semper tamen dormiens quasi continuum sentiebat vitii incentivum. Quia vero sub asperitate tanta somnus eius protelari non posset diutius, excitatus iuvenis ad illud responsorium passionis Dominicae: *Insurrexerunt in me viri iniqui,* tamquam ad civitatem refugii recurrebat. Dicens autem verbum: *Et non pepercerunt in faciem meam spuere,* mox totus resolvebatur in lacrimas, et cum lacrimis descendens in eum quaedam dulcedo gratiae totum ardorem illicitum penitus exstinguebat. Igitur sic tentatus cum Dominum iugiter precaretur, ut ei causam suae tentationis dignaretur ostendere, ecce in una noctium canis niger et hispidus coram eo astitit, latratum emittens tam horridum, ut et eos, qui templi cubabant ex latere, non canino, sed nimis horribili vocis suae strepitu excitaret. * Excitatus ille a somno et curiose illum ad lumen intuitus admiransque quidnam esset, crucis signaculo se munivit. Canis vero feretrum gloriosi martyris torvo vultu respiciens, iterato tamquam coactus nimium latratum ampliorem edidit, et recessit. Cuius iste non ferens praesentiam, surrexit a lectulo; quem canis inspiciens et morae impatiens submisso discedebat capite et stridendo dentibus graviterque submurmurans pervenit ad templi medium; sed iuvene insequente, mox ut fumus evanuit, et ille hostem intellegens, intrepidus ad lectulum remeavit. Quod multis relatione publica compertum est, quia socii, qui latratum audierant, publice divulgarunt. Mane facto, ille domum rediit, et in matre hostem esse considerans: *Adiuro te,* ait, *per passionem Domini et extremum eius iudicium, ut quis ille serotinus canis fuerit, quis illum ad me direxerit, vel quare illuc venerit, manifestes.* Coniuratus tertio tacere non potuit causam, quare venerit et quare clamaverit; et a quo missus fuerat, ex nomine declaravit. Et addidit: *Canis, quem vidisti, ex nobis unus est qui, quoniam ab homine iniquo coniuratus fuerat ad te perdendum, non venire non potuit, sed magni illius Lamberti constrictus praesentia, hinc inde nimia coangustatus angustia, volens nolens, voces edidit, quas audisti.* Ex illo igitur tempore sic in ipso totius voluptatis cessavit tentatio ut, si dici fas est, immo quia sic factum est, veterem exutus hominem totus mente et corpore in novam deinceps translatus est creaturam.

Ps. 26, 12. — * f. 21r. — Eph. 4, 22.

[XX.] Sacrorum itaque ordinum ascensis ipse gradibus, celebrabat cottidie unius [1] horae spatio. Virtus erat tanta mysterii, ut et amborum spiritus, matris inquam et filii, unum essent in Domino, et quicquid esse poterat utrisque contrarium, sacro cooperante mysterio, de medio tolleretur. Unde ab ipso tempore supradicti daemones, intrandi ulterius in tam sanctam feminam potestate perdita, a suo tam solito absque spe reditus hospitio sunt expulsi. Supradictis itaque solutis doloribus, Deo devota mulier a poenis evigilans tamquam sibi reddita, cum grato susurrio murmurabat ad Dominum, et dicebat: *Quamdiu * tuam famulam, Iesu bone, deseris? an nescis me optare potius, dummodo te habeam, gehennae subici doloribus, quam frui cum alio deliciis paradisi? His enim, quibus sic afflicta sum, vel etiam maioribus carere nolo suppliciis, dum tuae sic valeam satisfacere voluntati. Ergo quicquid vis, adhibeas, dum te mihi non subtrahas; et quicquid illud*

* f. 21v.

[1] cuius *cod.*

fuerit, non sentiam prae amore. Sed neque sic dictorum daemonum cessavit vexatio. Nam licet ulterius in eam non possent irruere, in domus tamen circuitu tam magnum faciebant strepitum, ut eorum, qui inibi morabantur, timore concuterent animos vicinorum, eiusque pacatissimo in figuris horridis apparentes conspectui, et eum, in quo iacebat, lectulum acsi asininis conculcantes pedibus, etiam omnia in gyro removebant utensilia, ipsius palliolum, quod solum supererat, multiplici foramine perforantes. Porro ipsi deinceps nocere non poterant; nam eos a se abigens, sic extenso repercutiebat brachio, ut, quod dictu mirum est, casus ille daemonum in terra cadentium, ac si esset corporeus, auditu de facili poterat deprehendi. Attamen, quoad vixit, ab eis omnino liberari non potuit, prout patebit postea, donec vitae termino propinquante pristinaque, sicut petierat, revertente gratia, illa vestis coram se ab angelis allata est, de qua longe superius fecimus mentionem (1). Cumque de eius filio sacerdote non possent daemones triumphare, in quendam alterum ipsius filium totum suae furorem effundunt nequitiae, et quicquid in primum moliti fuerant, in secundum faciunt redundare. Unde cum die quadam sua mater sederet in thalamo cum filio iuniore, canis quidam nigerrimus per fenestram de sublimi introiens et in femur impingens pueri, disparuit in momento. Cuius mater dolori compatiens et mederi cupiens accurrit continuo, et cruri eius signum crucis imprimens, verbis dulcibus filium solabatur. Sed cum ille consolationem nullam admitteret, ad hoc usque perductus est, ut languescens graviter a sensu quoque fieret alienus. Quid multa? lecto coepit decumbere, linguis loqui variis, cibum nullum capiens et de Deo aliquod sibi colloquium non admittens. Itaque cum nec ipsum sumere vellet viaticum, frater eius senior, scilicet vir beatus, valde illi condolens, post missarum sollemnia corpus dominicum occultus ei attulit (2), et daemonem, qui puerum invaserat, adiurans * terribiliter, cogebat eum, quid teneret in manibus, confiteri. Cumque puer in partem alteram deflecteret intuitum et eo iste instaret attentius, daemon coactus per linguam pueri sic respondit : *Votum caeli est, quod tenes.* Sed in his quid immoror? Non reliquerunt puerum qui ipsum vexaverant, donec afflictam eius animam variis cruciatibus extorquerent. Mater autem causa sui filium existimans interiisse, pro eo quod furorem, quem viri nequam in ipsam exacuerant, in filium retorsissent, sanguinis eius se ream dicere et die noctuque gemitibus et suspiriis dolori coepit satisfacere. Tunc ecce virgo gloriosa Dei genetrix eidem flenti per visum apparuit, filiumque suum inter plurimos sibi assistentes decollatum exhibuit, innuens ei lugendum non esse puerum, quem gloria martyrii cognosceret sublimatum.

* f. 22r.

[XXI.] Praeterea vir beatus, quod scripsisse debueram, antequam ad maiorem venisset ecclesiam, vidit per spiritum quod beati martyris servandas accepisset reliquias, et ad eas mulieres accedere non sinebat. Quod et factum est. Nam et eas postmodum in suam accepit custodiam et apud maiores ecclesiae [1] ampliorem obti-

[1] maior *add. in cod. sed delet.*

(1) Nempe lib. I, cap. xiv. — (2) Hinc statuas haec contigisse post annum 1210, quando nempe Iohannes factus erat sacerdos.

nuit gratiam. Qui cum puer adhuc esset, ut primos motus in se naturae coeperat experiri, sumpto statim cilicio, radicem libidinis tamquam acuto sarculo effodiens exstirpabat. Quo consumpto, cum copiam alterius non haberet, ut eius desiderium innotescat, quid fecerit, indicabo. Casu fortuito cadaver equi repperit, factusque hilarior, noctis sub silentio locum ipsum petiit, de cauda sibi aliquid facere asperrimum cogitans vestimentum. Sed impos desiderii nihil de cauda proposito suo congruum facere praevaluit; sed non segnis super hoc, venale aliud invenit cilicium; quod caute sibi comparans et amplectens prae gaudio, coepit sibi astringere, ne super praemissis corpori in aliquo parcere videretur. Itaque cum durus ille membra iuvenilia depasceret cruciatus, acuta febre corripitur; de qua postquam convaluit, rursus ad cilicii paenitentiam revolavit. Aegritudinis autem redeunte molestia, nimium immatura sanitas cito relabitur; et quia periculosior est recidiva infirmitas, nihil in eo praeter mortis indicia poterant apparere. Cumque mater filium iam prope moriturum * plangeret et lugeret, ipsum sibi a Domino, utpote totius *f. 22v. suae miseriae solacium, postulans reservari, sursum repente suspiciens pium Iesum super corpus filii vidit descendere et in modum Helisei membra propria illius corpori coaptare et sic illum pristinae restitui sospitati. Nam sudor tenuissimus IV Reg. 4, 33 sqq. post visum huiusmodi invasit puerum; quo statim convaluit, sumptoque vino, licet huic infirmitati contrario, quantocius ad ecclesiam profectus est.

[XXII.] Fuit etiam canonicus quidam apud Leodium Iohannes nomine, saecularis quidem secundum exterioris vitae superficiem, maximam tamen bene viventibus gratiam deferens et honorem. Is cum sciret beatae mulieris, quas pro castitate passa est, angustias modumque et causam, doloris quoque impetum, erat ei valde compatiens et in multis benigne subveniens. Qui postmodum praeventus aegritudine, cum in ultimis laboraret, quicquid in redditibus vel praebendis possederat, resignavit, propter eum se depauperans, qui, cum dives esset, pro salute sua II Cor. 8, 9. pauper fieri dignatus est. Reminiscensque [1] vitae praeteritae, graviter ingemuit, et sic vere paenitens migravit a corpore cum spe bona. Super cuius salute beata mulier se triduo vel amplius afficiens in lamentis, tandem, revelante Domino, vidit in ardenti dolio animam nigerrimam balneari. Itaque cum dolorem huiusmodi visio augmentaret, pius Iesus more solito in eam ingressus est et doloris impetum ab ea penitus exturbavit. Statimque ipsa anima, quae prius in lacu illo plumbeo bulliebat, exinde lucidior auro egrediens in stellae specie coram ea apparuit, donec, subtracta suavitatis gratia, quam de visu conceperat, et ipsa stellae visio [2] pariter dispareret. Certa igitur de illius accepta paenitentia, finem dedit lacrimis, sciens per sui iucunditatem spiritus, quod defuncti animam paradisus susciperet; unde et pro ea, etiamsi vellet, preces effundere ulterius non valeret. Pertransiens etiam die quadam ecclesiae cuiusdam cimiterium, in quo reclusae corpus, de qua superius mentio facta est (1), acceperat sepulturam, ante locum veniens parumper substitit,

[1] reviviscensque *cod.* — [2] *add. m. pr. in marg.*

(1) Cap. xv.

et tamquam viventem mortuam allocuta, huiusmodi vocem edidit graviter ingemiscens : *Heu! heu! domina mi, quid hoc facere voluisti? quare imposuisti mihi?* * f. 23r. *quomodo, te instigante, illi viro deveni in notitiam, a quo tanta * mala passa sum etiam sine causa? aut cuiusmodi erat ad eum tua familiaritas, quam mihi participare non volebas?* Haec sancta vidua prosequente, spiritus iam defunctae subito de sepulcro egreditur, et egressus in modum stellae lucidae astanti apparuit. Sed in ictu oculi in ruborem claritas commutata, repente teterrimum convertitur in colorem. Quo viso, Odilia trahitur interius et sancto docta Spiritu plenius intellexit, quod prius in amore simplex satis reclusae intentio familiaritate nimia in carnis est versa rubiginem, cuius esset ex vitio mortis aeternae patiens tenebras et ardorem.

[XXIII.] In maiore quoque ecclesia erat puer quidam canonicus aetate quidem iuvenis, sed grandaevus in moribus. Quem videns vir Domini elegantis esse industriae, magistri sui notitia mediante, ipsum ad se coepit attrahere et mutuis colloquiis in melius incitare. Cumque puer de admonitione proficeret et monitis salubribus aurem cordis humiliter inclinaret, patrem specialem illum sibi constituit, et, mediante colloquio, ipsius se orationibus iugiter commendabat. Qui pro eo contriti cordis immolando hostias, exhortationis quoque imbre assidue virtutum plantulas, quae iam in puero pullulare coeperant, sedulus irrigabat. Quia vero puerum sibi volebat artius cohaerere, coepit rogare Dominum, ut patrinus eius posset fieri, — nondum enim sacramentum confirmationis idem puer acceperat, — ut exinde possent inter eos dilectionis foedera ampliari. Cumque puerum confirmandum Hugoni (1) obtulisset tunc episcopo et ipse praesul renueret, coepit idem invigilare precibus; et ecce nocte quadam puer illi confirmandus apparuit, quod scilicet filiolum de manu episcopi susciperet confirmatum. Mane facto, pergens puerum post missarum sollemnia praesuli confirmandum obtulit, confirmari petiit et accepit. Processu vero temporis, cum puer ipsum minus solito frequentare inciperet et ipse pro eo orandi gratiam, prout consueverat, non haberet, magno super hoc mentis scrupulo movebatur. Et conversus ad Dominum loquebatur, cur res ita de puero se haberet. Et ecce in una noctium puer idem stans inter quinque * f. 23v. mulieres viro * Dei apparuit, quarum una caput lavabat pueri; unde et ipsius videbatur domicilium frequentare. Erant autem duae illarum mater et filia, quae matrem multa sui pulchritudine superabat. Sed cum de illis vir Domini tres repelleret, reliquae, quas diximus, cum labore maximo et tardius recedere videbantur. Sed et ita erant vestes pueri deformatae, ut totus inde deformis exsisteret et, excepta quadam circa pectus particula, totum in eo vitiatum, totum insigne libidinis dedecorisque forma. Cumque de eius nuditate condolens vestes suas illi cuperet impertiri, hoc Dominus fieri non permisit. Sequenti die de domo illa videns redire puerum caput habentem lotum et adhuc umidum, reduxit ad memoriam quod nocte praeviderat, puerumque interrogans omnia intellexit,

(1) Hugoni de Petraponte, Leodiensi episcopo an. 1200-1229, de quo saepe mox recurret sermo.

prout ei fuerat praeostensum. Illud solum diffitebatur puer, quod nullam illarum carnali amore diligeret; sed diu latere non potuit, quia postmodum humiliter recognovit, quod prius pertinaciter denegabat. Interdicente autem viro Dei illarum consortium, cum puer magistri sui metum praetenderet, si locum alium pro lavando capite requireret, advertens iste ne propter hoc puér ipsum cogeretur relinquere, supersedit consilio, rogans tamen Dominum, ut puero super his prospiceret et eum sua gratia liberaret. Arbitrabatur enim melius ad tempus dissimulare quod non posset corrigere, quam perturbare puerum, si coactus a magistro ipsius consortio deinceps privaretur. Interim vero iuvenis quidam viro Dei pulcherrimus apparuit, apud ipsum deponens querimoniam quod amores et suos praedictus eius respuisset filius, et in sui iniuriam sororem cuiusdam pueri nomine Iohannis diligeret. Circa hoc tempus occasio se praebuit, quam nos ipsi cognovimus, quae, viro Dei mediante, puerum de tanto naufragio eripuit et ereptum ad salutis portum et gratiae reportavit. Puero itaque per Dei gratiam mirabiliter absoluto, impletum * est quod superior illa visio de mulierum eiectione monstraverat; ubi, * f. 24r. quia mater et filia tardius egressae sunt, palam est quia animo pueri artius inhaeserunt. His ita gestis, ubi opportunitatem vir Dei adeptus est, eundem cum suis sociis seorsum tulit puerum, et quanta bona de virginitate proveniant, coepit exponere, et quod ipsa omnium virtutum regina sit et sola reddat fructum centuplum, de scripturarum testimoniis comprobare. Cuius verbis puer valde compunctus, — vivus enim sermo Deì et efficax, — emissis a se sociis, tunc primum Hebr. 4, 12. quod egerit, spirituali medico confessus est. Quam confessionem cum ille suscepisset et interiora eius plenius agnovisset, tamquam bonus medicus et vere compatiens in tantum ei condoluit, quod non cessasset flere per triduum, si non pudor humanus lacrimas repressisset. Igitur ipsa nocte, qua mane pro peccatis ipsius deliberaverat celebrare, volens ipsum, si quo modo posset, ad statum pristinum revocare, vidit in spiritu eundem cum veste alba puerum sibi assistere et nuditatem suam eius obtutibus exhibere. Intellegensque illum suum flagitare auxilium, extensa manu, veste, quam habebat, vestivit puerum, omnem in circuitu paenitentis contegens nuditatem. Facto mane, laetus accessit ad missarum peragenda sollemnia, certus quod puerum reddidisset gratiae, quem in veste alba sibi viderat apparere.

[XXIV.] Aliud quoque miraculum licet in re minima volo hic inserere, quod etiam ei Dominus dignatus est demonstrare. Erat in eius domo quaedam annosa mulier, quam propter Deum secum collegerat, matri suae et sibi in aliquibus servientem. Haec itaque multotiens, cum non haberet in promptu aquam calidam, qua vasa domus detergeret et lavaret, altero quodam liquore nescio quo haec eadem potius commaculans deturpabat. Sed et hoc, Spiritu revelante, virum Dei non latuit. Requiritur mulier de reatu, confitetur et publicat, et deposcens veniam promittit * nullatenus, quod fecerat, se facturam: *Nunc enim mihi*, ait, *manifestius* * f. 24 *est compertum, quod nimis clarum, domine, habeas intuitum, cui desuper datum est et videre quod nullo teste saepius doleo me fecisse.*

Stabat etiam aliquando adhuc puer vir beatus ad psalmodiam decantandam, lumen gerens in manibus, quod, multis praesentibus, exstinctum est. Cuius illic

meritum Dominus volens ostendere, dum sub longa mora illud puer vellet accendere, lumen desuper immisit igneum, et cum ad manum reflexit intuitum, ardere iam repperit, quod fuerat sic exstinctum. Palam itaque sit omnibus quam ardenti flagaret intrinsecus desiderio, cui ad signum cordis ignei radiabat flamma de caelo.

[XXV.] Fuit etiam apud Leodium quidam puer canonicus, nobilis quidem prosapiae, sed corde nobilior, qui viri Dei habebat notitiam et eius in bonum acquiescebat monitis ut servus domino, sciens quia summa ingenuitas ista est, in qua Christi servitus comprobatur. Hic itaque cum ab eodem pio patre, multo elapso tempore, recessisset, male cautus vitae praesentis incidit in laqueos. Unde et in infidelitatis vitium est collapsus. Modus autem quomodo ceciderit vel ab eo recesserit, describetur. Is igitur adhuc puer cum suis sodalibus viri Dei frequentabat domicilium, et eidem amore ardentissimo prae ceteris est coniunctus. At si aliquando pius pater hortaretur eum cum suis sociis ad contemptum saeculi et vitae huius declinare illecebras, puer idem cum silentio et in aure loquens : *Socios meos*, aiebat, *recedere faciatis*. Illis abeuntibus, viro Dei et puero non erat ullum tempus sufficiens ad loquendum de amore Dei et proximi caritate. At si quando locum, in quo consederant, intraret mater Odilia, quantum ex huius patris monitis puer proficeret, ipsa per spiritum plenissime cognoscebat. Unde et puero recedente, ad filium loquebatur : *Iste puer multum, te loquente, hausit gratiae; et dum*
* f. 25r. *ego ingrederer, ut moram non facerem, idem mihi * ex animo contradixit*. Vocato post vir Dei puero, percontatur quid tunc haberet animi, et ex ore pueri vera esse, quae illa praedixerat, recognovit. Quadam vero dominica in palmis, cum vir Dei a puero requireret, quid in processione habuisset animi, respondit : *Quaedam verba mihi dixit mulier, de quibus in animo superbivi*. Cognoverat itaque vir Dei, matre praedicente, quod heu! a puero Christi gratia tunc recessit. Contigit etiam, cum ante quadragesimam in ludo gallorum idem puer, ut moris est, cum quodam concanonico suo bellum susciperet, per tres dies viri Dei precibus non solum eius adversarius non potuit obtinere ....[1]; recognovitque hora illa se parum Dei famulus obdormisse. Videntes igitur hi qui beatam Odiliam, ut dictum est, vexaverant, inter Dei virum et puerum amicitiam, ab ipsius consectatu volentes coercere, verberibus puerum multotiens flagellabant. Verecundus vero puer magistro vapulans sic respondit : *Si tecum lupanar frequentare volueram, forte mihi esses misericors; sed scito certissime me numquam a servo Domini separari, donec me voluerit retinere*. Unde factum est, ut eidem daemones immitterent, eo quod ab invicem non poterant separari. Quorum vir quidam cognoscens nequitiam, puero obvianti ait : *Desine, cito morieris*. Quicquid autem puer pati poterat vel audire, patrem suum faciebat conscium, ut ei sub tali articulo subveniret. Infestatus igitur illorum malitiis infirmabatur gravius; quem vir Dei visitans ex oculorum motibus percepit puerum a daemonibus agitari. Rogabat autem pium martyrem, ut in tali augustia puero subveniret. Puer vero illum accersiens : *Videbam*, ait, *per somnium, quod tu mihi dabas corpus dominicum*. Facto mane, cum ipsi sanctam daret hostiam, iam

[1] *Locus manifeste lacunosus.*

ipsi daemones, qui puerum invaserant, sumptam reicere compellebant. Sed clamante puero et ad exhibendum sibi receptaculum anxio, vir Dei ipsum complectitur, et vomitus pueri protinus retardatur. Contigit etiam multotiens ut, cum puer sumptam Eucharistiam reicere cogeretur, vir sanctus amplexabatur anxium, et puer in pace, * quod susceperat, retinebat. Porro qui nocere puero cogitabant, plu- * f. 25v. rimum turbabantur. Super his etenim ipsorum consilium beatam Odiliam non latebat. Vir autem beatus puerum allocutus : *Nisi singulis*, ait, *diebus a me Christi corpus susceperis, sanitatem corporis adipisci non poteris*. Quotiens enim sanctae communionis efficiebatur particeps, incolumis quidem servabatur in anima, ardorem tamen aliquem exterius sentiebat. Qui ardor cum ascenderet et doloris aliquid capiti ingereret, puer a sancto monitus aqua benedicta dorsum suum irrigabat cum pectore, et ardor huiusmodi metam illam non transiens penitus fugabatur. Quodsi illo die communicare desisteret, ipsum continue plurimum perturbabat febrium cruciatus. Interea vir beatus cum devotam die quadam communicasset Odiliam, diei illius in vespera sic eum allocuta est : *Eia*, ait, *fili, cito recessisti a me*. Quaerentique causam et modum filio : *Vidi te*, ait, *animam tuam a me retrahere, et eam puero, quem sic diligis, copulare*. Cognovit itaque quod, communicata matre et coadunata sibi in spiritu, tota eius a puero solveretur intentio; sed eam statim reflexit ad puerum, quia nihil de matre dubitans, solum hoc, salutem timebat pueri, cum ipsum, ut diximus, aliquotiens dolor nimius irretiret. Qui in bonum proficiens, cum a sancto panem vitae susciperet, tam mira erat ipsorum spiritus in Christo coniunctio, ut si ille tantum animo deliberans vellet videre puerum, moram puer non faciens, ac si esset praemonitus, absque nuntio veniebat (1). Similiter si quicquam adversitatis puero accidisset vel eum dictus ardor atrocius irretiret, hoc vir Dei per spiritum sentiens et totum pondus pueri compatiendo sufferens, implebat quod scriptum est : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Cum- Galat. 6, 2. que vir Dei nocte quadam factus in exstasi videret se per spiritum gloriosi nostri martyris mausoleo assistere, ecce quidam viri coloris nivei, ipso martyre, quem ex frequenti visu plenius cognoscebat, * praecedente, feretrum quoddam rubicundo * f. 26r. coopertum pallio deportabant; quod, ut patebit postea, viri Dei dolores futuros et angustias praetendebat. Appropinquantibus viris illam, quae in choro erat, cryptulam, vidit idem in porta templi, quae aquilonem respicit, quosdam Aethiopes saepe dictum puerum indutum veste sordida cum gaudio deducentes. Quo viso, exhorruit; martyr vero, qui viro Dei praeerat, ipsum post puerum currere cupientem a cursu retinuit, minacique vultu in dicta retrudens cryptula, ibidem tristissimum collocavit; utque in proximo effectus succederet visionis, viri quidam Belial videntes viri Dei puerique constantiam, quod nullis eorum malitiis poterant ab invicem separari, notos et affines pueri instanter conveniunt et instigant, ut ad suam patriam puer celerius debeat revocari. Qui heu! veniens Malbodium in claustro monialium, illic per tempus aliquod passus est, immo et voluit, demorari. Cuius illic

(1) Animadvertet lector haec similia esse hypnoticae illi suggestioni, de qua moderni multa commentati sunt.

moram vir beatus intellegens, graviter ingemuit, suasque illic usque tertio transmittens litteras rogabat attentius, ne a se diutius reditum protelaret. Igitur cum reverti puer proposuit, patri suo per visum apparuit; sed pro nefas, alba veste circumdatus in quoddam lapsus praecipitium ab intuentis oculis evanuit in momento. Reverso itaque puero, Deo devota mulier ad filium : *Amicus*, ait, *tuus, sicut a te exiit, non cum tanta gratia est reversus.* Unde factum est, ut iam plenus lenociniis a manu viri Dei, sicut erat solitus, Eucharistiam amplius sumere recusaret. Quapropter ipsius viri viscera tanto dolore quassata sunt, ut etiam venter tumidus, velut clavis infixis ferreis, interna cordis vulnera declararet. Nam ut verum fatear, si quis mente ferreus vel corde lapideus perfecte cognosceret compassionis spiritum, quem ad praefatum puerum vir beatus exhibuit, certe super huiusmodi poterat emolliri. Porro ipse Dominum totis rogabat nisibus, ut eum honestius, si vellet, vel mitius subtraheret ex hac vita. Cui miserator Dominus per visum innotuit quod, si scholari alteri sibi in sua basilica ministranti post missae mysterium
* f. 26v. sui daret ablutiones calicis, * ab his posset doloribus liberari. Quod ut morose factum est, hoc mediante remedio, a prioris pueri spiritu meruit separari. Ab hoc tempore inter ipsum et dictum puerum tale erat obstaculum, ut, quotiens pro eo orare intenderet, totiens erat in spiritu circumsaeptus foetoribus, quod preces huiusmodi interrumpere cogebatur. Super quo matrem interrogans, haec audivit : *Fili, et ego foetores illos sentio, cum de illo puero audio te loquentem. Neque enim tu es ista sentiens, sed manens in te Dominus tibi haec sentire tribuit, ante cuius faciem ipsi quidem sunt foetidi, qui obscenis non timent mulierum tactibus delectari. Nam et puer, de quo loquimur, super his et similibus non timuit inquinari. Quo foetore prorsus si carere volueris, pro eodem puero precis interrumpe suffragium, nec de ipso velis quippiam cogitare.* Exinde vir beatus a Domino hanc accepit gratiam, ut, si quis ad ipsum veniens confitendi gratia se delectatum tactibus mulierum assereret, mox foetor tam nimius eius turbabat spiritum, quod se nullatenus poterat continere; at cum vere confessum absolveret, Christo iam facto medio, nequaquam ulterius foetorem aliquem sentiebat. Si quis autem [1] se corruptum carnaliter fateretur, dolorem nullum inde sentire poterat vel foetorem. Si quis autem obiciat quomodo plus foetoris a minoribus peccatis sentiret quam a maioribus, respondemus illis, quibus impudici tactus feminae quandoque placuerant, cum sanctus vir confessione media suum coadunaret spiritum, ipsorum pruriginem vitiorum ex vicinitate sensualitatis non poterat non sentire; corruptis vero carne et spiritu pacto nullo convenire poterat. Nihil enim corruptis illis et casto isti. Nos autem
I Cor. 12, 31. studiosis haec relinquentes lectoribus, in viro Dei ampliora charismata potius aemulemur. Sed quia praefatum puerum quasi ad tempus lugebat perditum, quem tamen ad portum salutis et fidem sanctae Ecclesiae misericors Christi revocavit gratia, ut super tali eius lapsu in inventione alterius quodammodo posset aliquatenus consolari, alium illi Dominus concessit infantulum, de quo, sicut patebit,
* f. 27r post * modum perfecte in omnibus suae satisfaceret voluntati.

[1] *Sequitur in cod. verbum* obiciat, *lineola rubra deletum.*

[XXVI.] Contigit enim virum Dei die quodam Sancti Trudonis venire in oppidum. Qui domum cuiusdam civis ingrediens, videt inter familiam puerum vultu et gratia satis amabilem, visumque secum mox, si posset fieri, deducere summopere affectabat. Sui tamen non compos desiderii, ad tempus discessit a puero, affectumque conceptum dissimulans, precibus exinde Dominum pulsabat assiduis, ut pro eo, quem quasi lugebat perditum et pro cuius salute quam multa sustinuit, istum, Domino annuente, penes se susciperet divinis monitis educandum. Quod et factum est. Pater enim pueri, nec mora, filium transmisit Leodium, tradiditque viro Dei, ut eum et sacris litteris et bonis moribus erudiret. Quem occulto Dei iudicio contigit lepram incurrere; morboque invalescente, iam cutis eius rumpebatur superficies, ita ut suis a coaetaneis iam inciperet evitari. Cuius vir Dei corpusculum sic perire non sustinens, orabat pro puero, responsumque accepit a spiritu, quod si exemplo Helisei se super puerum incurvaret, idem effectus gratiae sequeretur et lepra iam incohans fugaretur. Factum est hoc, et pristinae languidus redditur sanitati. Proficiens autem plus puer aetate quam gratia et in suum recalcitrans provisorem, dicebat se discendi gratia velle Parisius per annos aliquot hiemare. E contra vir beatus blandis eum demulcebat sermonibus; interdum quoque ipsum increpans et aegritudinis pristinae palam revolvens miseriam, puerum inflexibilem a suo proposito non poterat revocare. Conversusque ad eum: *Attende*, ait, *saltem paululum et sustine, donec si forte liberer a dolore, quo deprimor.* Tunc etenim vir beatus gravissimae subiacebat molestiae corporali. Surgensque interea homo Dei ultra modum debilis, virtute qua poterat exorabat Dominum, ut praedictum pueri mutaret propositum, alioqui suum ab eodem spiritum sineret separari. Et factum est ita. * Divisumque sua ex culpa a viro Dei puerum, qui totus ex eius dependebat anima, tam gravis et continua invasit infirmitas, ut, cum vellet incedere, iter quinque passuum sine pausa et gravi anhelitu non poterat consummare. Quem ipse tali videns subiacentem miseriae, ultra se continere non poterat. Rursusque rogans pro eo Dominum iterato meruit exaudiri. Resumptis puer viribus, quod diu conceperat, exsequi volebat propositum; virumque Dei accersiens, sic locutus est: *Parisius quidem vestris praepeditus precibus ire non potui, nunc autem parentes meos vadam invisere, penes ipsos aliquamdiu moraturus.* Cui vir beatus e contra graviter prophetizans[1]: *Non*, inquit, *sed celerius moriturus. Si enim vadas alicubi, me relicto, ante diem decimum procul omni dubio morieris.* Sed pueri sermo et voluntas praevaluit. Non impune tamen, mortis comitante dolore. Vix enim lares parentum intraverat, et ecce viribus destitutus nihil aliud quam esse mortem in ianuis, certis indiciis demonstrabat. Quem moriturum non dubitans vir beatus, semel adhuc dignatur invisere; et ingressus domum, solo contentus iuvene comitante, ut vidit illum dolore irretitum insanabili, lacrimatus ingemuit. Incipiebat enim mori. Vestimentorum cuius ut puer sensit fragrantiam, quasi de gravi somno evigilans, a lecto paene nudus exsiliit, et in colla ruens castis eius haerebat amplexibus, lacrimis uberrime lacrimas recompensans. Parentes

IV Reg. 4, 33-35.
Luc. 2, 52.
* f. 27v.
Matth. 24, 33.
Ioh. 4. 47. Gen. 27, 27.

[1] prophe... *ita cod.*

quoque voce rogabat lugubri, ut cum patre piissimo sibi licentiam annuerent
remeandi. Porro cum ipsius parentes abnuerent, nec viro Dei hoc ipsum petenti
super his acquiescerent, ipse quidem supra modum tristis et quasi sua illic viscera
Gen. 6, 6. derelinquens redibat ad propria, tactusque dolore intrinsecus retrorsum repente
rediit, revertentique suus insultabat[1] socius sic respondens: *Ut quid, pater, ad*
Luc. 9, 60. *puerum tam cito reverteris? Sine illos suum sepelire mortuum, qui tuis hactenus*
* f. 28r. *super his * oboedire precibus noluerunt.* Quibus verbis vir Dei consternatus animo
II Reg. 19, 22. conversus ad socium: *Et tu,* ait, *quare mihi efficeris in Satan? Mihi enim per
spiritum innotuit, quod a meo et voto et spiritu ab illo loco et tempore corde et
animo recessisti.* Cuius ille veram in semet expertus sententiam, non ausus est eius
amplius resistere voluntati. Moribundum itaque reversus ad puerum, placatis
parentibus, revehi fecit Leodium, tute illius praestolans terminum, quem sub brevi
tempore cognoverat affuturum. Puer autem iam morti appropians, patrem pium sic
alloquitur: *Tremens valde sum factus et timeo, ne, cum aeterno iudici fuero prae-
sentatus, hoc mihi possit obsistere, accusantibus ministris tartareis, quod dicar esse
faeneratoris filius; siquidem pater meus multa iniuste rapuit ad usuras; et ideo non
debeam divinae esse particeps visionis.* Ad quem vir beatus: *In me sit,* ait, *expro-
batio ista, fili mi. Nihil enim tibi et iniquo patri. Sed neque tu peccatoris ultra
filius, immo aeterni Patris eris et vocaberis adoptivus.* Omnibus igitur rite peractis,
coniuratus puer suum quantocius, si liceret, reditum Dei famulo repromisit. Qui
volens repatriantem filium albis investire vestibus, ne quid de parentum iniquo-
rum supellectili transferret ad tumulum, pergebat ad ecclesiam; sumptisque
necessariis, cum regredi festinaret, audivit a nuntio quod extremum in Domino
Helias, hoc enim nomen puero, spiritum exhalasset. Cuius corpus indutum albis
delatum est ad ecclesiam; celebratisque ab ipso patre missarum sollemniis, eccle-
siasticae mandatum est sepulturae.

Sors fuit haec, vitae fuit hic decessus Heliae.

Cumque pro eius anima diebus triginta continuis celebrare homo Dei intende-
ret, paululum excidit a proposito. Die enim uno illorum tam immensos in se passus
est frigoris cruciatus, quod nec surgens a lectulo, sed nec altari appropians, se poe-
nam assereret persensisse totaliter animae patientis. Igitur dierum illorum evoluto
* f. 28v. termino, cum praedicti pueri spiritus * non rediret, intellexit vir Domini ob unius
defectum diei animae reditum retardari. Subsequente autem nocte, expletis vigiliis,
cum vir Dei esset in exstasi, licet adhuc tenebrae essent intra cellulam ob noctis
caliginem, spiritu tamen revertente perlucido, lux in tenebris lucere visa est et
Ioh. 1, 5. tenebrae eam non comprehenderunt. Nam ut verum fatear, erat aspectus eius sicut
Matth. 28, 3. fulgur, vestimenta eius sicut nix. Qui quasi palpato patris latere, excitavit eum
dicens: *Pater mi, pater mi.* At ille: *Audio,* inquit. Cui spiritus: *Adsum,* ait. *Quid
vocasti me? — Quis es tu, fili mi? — Dilectus tuus Helias ego sum. — Estne pax*

[1] insulcabat *cod.*

filio meo Heliae? — Pax utique, et illa quae exsuperat omnem sensum. Et infert: Philipp. 4, 7. *Et quid dignum referam Deo? Quas vobis, pater, gratias et vobiscum quid meo tribuam Creatori? Siquidem carnis absolutus totiusque expers miseriae, Domini laetus introivi potentias; omniumque malorum immemor iustitiae Dei solius de cetero* Ps. 70, 15. *recordabor.* Cumque, protensis brachiis, sibi vir Domini artius pro more vellet astringere, mox speculantis ereptus ab oculis, Abrahae sinu laetus excipitur, chorisque admixtus virgineis hymnis in perpetuum caelestibus honoratur. Finita erat visio, et vir Domini ingressus ecclesiam magnificabat Dominum, qui suum de hoc puero via tam mirabili gaudium adimplevit.

[XXVII.] Verumtamen praecedenti tempore, antequam de hoc puero ulla esset mentio, dictus pater venerabilis in partes secedens Brabantiae, censum cuiusdam luminaris ad Leodiensem pertinentem ecclesiam, cuius rei causa venerat, a manibus extrahens invasorum eidem ecclesiae integraliter resignavit. Qualiterque id contigit, quia longum est disserere, ne fastidium inducat prolixitas, decrevimus praeterire. Dumque itaque illo iter ageret, coactus prece suorum divertit ab itinere, venitque in praefatum Sancti Trudonis * oppidum, ut illic degentem miseram * f. 29r. quinque plenam daemoniis saltem praeteriens visitaret. Quem ut vidit misera, a suis mox agitata domesticis, totis in eum nisibus coepit velle irruere, vivum illum cupiens absorbere. Qui sacrosancti memor sacrificii, quod die illo Deo Patri immolaverat, audacterque illi se obsistens: *Eia,* inquit ad daemonem, *miser, si quas habes in me vires, exere. Laborem non refugio, si tibi a Domino datus sum ad devorandum.* Vix dicta compleverat, et a sua daemon insania resipiscens, quasi fractis brachiis repente conticuit. Et qui primo tam fortis infremuit, stabat nunc attonitus, et hoc Dei famulo assistente. Coniuratusque ab eodem, ut ei latinis responderet sermonibus, coactus tertio, sed mentiens, prosiliit in haec verba: *Linguam ignoro. — Mentiris,* ait. Et hostis: *Quid igitur?* Statimque frendens barbarum aliena verba evomuit, verba, inquam, difficillima intellectu. Vir autem Domini, si quando dictum veniret in oppidum, semper languidam solitus erat invisere; quae in viri Dei praesentia multam virtutem animi et mentis constantiam resumebat. At cum a domo regredientem pio languida sequeretur intuitu, hoc ipsum in ea volebant punire daemones. Sed vir Dei, invocato Christi nomine, audacter se illorum nisibus opponebat. Quadam vero die veniens minus caute locum eundem adiit; quem ex muliere hostis intuitus totus erat insaniens; fecissetque votis satis, si vir Dei se illius manibus, sicut prius fecerat, iniecisset. Mirabatur autem, unde hosti tantus furor et tam fortis insania inerat, cum suarum ad unguem momenta replicans actionum, in nullo se Dominum perciperet offendisse. Tunc veri coactus auctor et pater mendacii adulteriique nomen illi improperans: *Qua virtute,* ait, *me religare poteris, qui cessasti hodie a consecratione hostiae salutaris? et qui, cum hodie non tenuisti Dominum, quale quantumque super me te putas habere dominium?* Haec autem omnia teutonice loquebatur. * Cui vir Domini per interpretem sic respon- * f. 29v. dit: *Legitimus quidem matris bonae filius ego sum; sed licet tibi mentiri sit proprium, cognosco tamen quae loqueris; neque enim hodie celebravi.* Egressusque reliquit miseram, quia diu ibi morari non poterat. Sperabat tamen in Domino

quod mulier sanaretur, si visitandi eam facultas suppeteret; ex ipsius enim praesentia multum iam conceperat gratiae et vigoris. Neque enim ex abrupto inveterati daemones effugari poterant, qui ex longo iam tempore infirmati corpusculi fuerant possessores. Verum ea, quae diximus, pro sacramento Eucharistiae, cum plurimum conferant fidei et saluti, tenaci debent utique memoriae commendari.

[XXVIII.] Res est mira, quae sequitur, et in laudem meritumque fidei ad Eucharistiae praeconium iugiter commendanda. Cum a sua matre vir beatus auditu multa perciperet, vera quidem omnia, sed difficilia ad credendum, quia rationis scrutinium videbantur excedere, ipse idem nec omnino volebat credere, nec e diverso matris suae penitus sermonibus derogare, Domini memor potentiae, qui Num. 22. quondam asinam prophetae praeferens, in ea quae voluit os ipsius docuit et aperuit ad loquendum. Vacillans itaque horum sub medio magisque tamen claudicans in credendo, ne ex verbis matris de cetero moveretur in dubium, certus de illius gratia, subsequenti miraculo meruit confirmari. Cum igitur die quodam summo diliculo adhuc essent tenebrae intra quandam cellulam in maiore exsistentem ecclesia, quae Sanctae Crucis dicebatur basilica, et indutus sacris vir Domini, parvulo sibi ad ministrandum puero assistente, celebrare intenderet, plures hostias, quibus suos aliquando communicaturus erat, illic super altare benedictum et portaticium, quod tunc ibi erat, ante pedes calicis deposuit ex patena. Dicta vero oratione: *Suscipe, sancta Trinitas* et cetera forte quae sequuntur, hostiarum una, * f. 30r. tenebris visum arcentibus, ab altari benedicto inter corporale et pallam* improvise lapsa est. Cumque, peracto mysterio, consecratas hostias in sollemni vase ad hoc singulariter deputato reconderet, illam, quae corruerat inter pallam et corporale, repperit, ignoransque utrum corpus esset dominicum, eamque reponens secretius a consecratis paululum sequestravit. Cuius mater, exinde iam elapsa hebdomada, ipsum accersiens: *Volo*, ait, *fili, ut me communices; debilis enim sum.* Qui scire cupiens praefatae hostiae veritatem et de matris gratia, utrum vera esset, plenius confirmari, attulit eam matri et postulanti corpus Domini tribuit ita dicens: *Corpus Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem et vitam aeternam.* Qua percepta, statim sine mora respondit mulier: *Cur hanc, fili, hostiam corpus dixisti dominicum? Neque enim haec hostia a virtute Spiritus fuerat penetrata, sed nec in Christi corpore incarnata. Suscepta tamen est a Domino. Nam tu illam solummodo obtuleras sanctae Trinitati.* Tunc ille, tantis a simplici femina auditis mirabilibus, Dominum magnificans, verbis matris in reliquum fidem adhibuit firmiorem; in crastinumque mulier a manu filii sacram sumens hostiam suum in hostia suscepisse gavisa est redemptorem. At cum verba matris eadem de supradicta hostia aliquibus postea filius rettulisset, mirabantur dicentes: *Quomodo haec* Ioh. 7, 15 et Gal. 1, 12. *talia scire potuit, cum ab homine non didicerit?* Nam etsi multis edocta magistris ex longo iam fuisset tempore, mirabile tamen esset, si audita ab aliis potuisset talia retinere.

[XXIX.] Clericus quidam in maiore ecclesia subdiaconatus fungebatur officio. Qui cum esset vaniloquus et totus carni deditus, multorum sibi similium favorem acquisierat dominorum. Habebat autem et hic filium, qui suae iniquitatis heres

individuus, nocte quadam intra maioris saepta ecclesiae scortum adducere non timuit, multosque sibi coaetaneos, quos illic vocaverat, tantae libidinis participio non privavit. Quod virum Dei non latuit. Qui loci tam venerabilis non ferens iniuriam, sed in fervore spiritus * zelatus pro Domino, totius amator munditiae, (* f. 30v.) congregato canonicorum conventui tantum facinus per ordinem, mediante nuntio, (III Reg. 9, 10.) declaravit. Super quo nimium conturbati statim ab hoc piaculo sanctificantes atrium, suum matricularium, eum scilicet qui huius erat auctor sceleris, absque spe reditus ab ecclesia proiecerunt. In ipsa autem nocte pius ipse martyr stans a dextris altaris, quod erat in chori medio, viro Dei per visum apparuit; stabat autem ipse Dei famulus ex adverso. Qui procul aspiciens vidit ipsum iuvenem venientem ad se. Hic miser appropians cum suis illum vellet irretire amplexibus, martyr pius, qui aderat, illum cum ira increpans: *Nihil*, ait, *tibi proderit; non enim mihi ultra servies, nec in gradum restituam te priorem*. Quo dicto, martyr altari se subiciens precibus incumbere videbatur. Hunc sic iacentem intuebatur vir Domini; et ecce collapsa ei caelitus candela triplex suis visa est in manibus; quam tamdiu tenuit, donec praesul almifluus precis instantiam relaxavit. Apparuit autem pro eo in candela triplicitas, ut daretur intellegi, quod in sui servi opere pius ipse martyr et pia Dei genetrix Paterque omnipotens habeant collaudari.

Finita erat visio, et ipsius exitum vir Domini affuturum intrepidus exspectabat. Tunc sceleratus pater saepe dicti iuvenis, propter Dei hominem existimans suum ab ecclesia filium exsulare, quia, ut praedictum est, vaniloquus erat et etiam magis potens, adversus ipsum canonicos, quantum poterat, exasperans commovebat. Sed non est passus Dominus ut ob istius malitiam hanc suae ecclesiae lucernam exstingueret; sed precibus gloriosi martyris, prout in visu praeostensum fuerat, sic contrivit miserum et Christi sui cornua sublimius exaltavit. (I Reg. 2, 10) Et merito; indignum enim erat, ut a fornicario illam vir castissimus pateretur iniuriam, qui a matris utero caritate tam fervida castitatem dilexerat, ut a quocumque verbum, quod carnem saperet, posset percipere, mox illi in facie resistere conabatur. (Gal. 2, 11.) Vidit vir Dei rursus in spiritu defixo in aere se crucifixo assistere, sed mox ut terram descendens visus est tetigisse, * hunc non vidit amplius; (* f. 31r.) maximus enim murus repente apparuit inter ipsos. Qui statim in se rediens exsultabat animo, sic dicens intra se: *Nunc scio vere quia mittet Dominus angelum suum et eripiet me de manu linguae* (Act. 12, 11.) *subdolae huius nequam hominis et de omni armatura dentium pessimorum*. Et hymno dicto, (Matth. 26, 30) modico intervallo praefati patrem iuvenis sedentem in cloaca Dei percussit ultio et mors tam turpissima, quae, disruptis visceribus, ab ipsius corpore influxu et vomitu putrefacta vitalia compelleret ebullire. Merito quidem. Nam sicut pii sancti martyris consummato martyrio, Dodonem ducem sceleris horrendorum viscerum multavit eiectio (1), sic sancti eius famuli persecutor ipsius poena satis simili debuit condemnari. Et de cuius, hoc est Dodonis, progenie traxerat originem, eius sequendo scelera, ab eo nullatenus nec in mortis genere iusto Dei iudicio potuit separari. Tunc quidam, qui casu advenerant ad triste spectaculum,

(1) Cfr. *Act. SS.*, Sept. t. V, p. 579, num. 27.

subtollentes miserum trahentesque bubalum ad locum buculi (1), ad domum usque propriam spumantem et lividum quam citius perduxerunt. Qui paululum resumpto spiritu, cum esset in tormentis huiusmodi, vocavit ad se filium, totiusque suae illum participem iniquitatis constituit[1] substantiae, et sic inter duas pelices, quas diu vivens tenuerat, vitam finivit miseram, die tamen prius ad vesperam declinata. Et sic mortuo, dictus illius filius a patre non degenerans, totum se dedit ad peccata Luc. 15, 30. praecipitem, et cum meretricibus in brevi dissipata omni substantia, cogente inopia, compulsus est mendicare. Defuncti vero spiritus paulo post quasi reconciliari viro Dei cupiens, per visum apparuit. Sola enim vexatio, sed heu! quam nimis sero coartato spiritui tribuerat intellectum. Quem vir Dei patienter intuens immemorque omnis iniuriae, quam in eum nequam ille vivens exercuit, cum vellet absolvere, tot subito se sensit circumsaeptum horroribus, ut flammis quasi tartareis se crederet concremari. His habitis, spiritus qui advenerat, non absolutus repente * f. 31v. disparuit, attamen ad eundem post modicum reversurus. * Hunc secundo vir beatus venientem ad se intuitus, procul a se reppulit, et de arcu (2) rubicundo viellae[2], quem gestabat in manibus, inimicum percutiens sic respondit: *Quid ad me venisti? An ultra, quin meam possim sonare viellam, poteris prohibere? Absit.* Haec autem est fidelis interpretatio visionis. Rubor arcus de viella dolorem, quem pro castitate sustinuit homo Dei, sonus autem viellae mellifluum oris eius repraesentat organum, quo puerorum animos ad se venientium incitabat gloriam diligere castitatis. Tertio quoque viro Dei nequam ille apparuit, ut sic probaret Dominus quod nunc et in perpetuum servus suus de eodem spiritu triumphasset. Stabat enim per visum nequam ille spiritus in parte chori media, Dei vero famulus gressus suos fixerat ex adverso. Qui elevatus in aere ut pervenit ad spiritum, suis illum conculcando pedibus redegit ad nihilum, evanescentemque taliter non potuit amplius intueri. Ergo quia ad eum idem spiritus ultra redire distulit, et ego quoque de illo meum Iob 21, 5. sermonem comprimens ori meo digitum superpono. His omissis, ad beatum Odiliae matris Dei hominis transitum lectionis series convertatur.

Cant. 4, 16. [XXX.] Surge, aquilo et veni, auster, et meae mentis aridam sordidamque ventilando aream, etiam angusti gutturis dilata arterias, ut sacra materiae effundam aromata. Hoc est quod casto tramite per carnis spurcitias et per hostes tam impios, sicut supra dictum est, bellatrix emerita, completo vitae termino, via cucurrit regia in requiem sempiternam. Sed ne forte ipsam, quam habebat, in sermone constantiam praeterisse videar vel silere, non verebor scribere alicui de malevolis interroganti quanta virtute animi, qualive responderit spiritus libertate. Venit ad eam presbyter de matrimonio iterando sermonem interserens; sed illa nullas suspicata insidias presbytero, sic respondit: *Quae ego, mi domine, et quis*

[1] *forsan supplendum est:* heredem. — [2] *cod.* viale.

(1) *Bubalus est magnus, buculus est minimus:* Ebrardus apud Cangium. Videtur auctor hic rettulisse proverbium quoddam vulgare in vulgari lingua adhiberi solitum. — (2) Id, ut videtur, quod *plectrum* alias dicitur.

mundus? Iunior enim fui, sed nunc senui, et ideo mundum mihi et meipsam saeculo corde et animo crucifixi. [Ps. 36, 25. Gal. 6, 14.] Cui ille: *Mihi*, ait, *solummodo consentire ne differas; et ego te mihi in coniugem paratus sum copulare.* Quae stetit et ait: *Optarem certe potius meum igne sulfureo * totum cremari corpusculum et ipsius cineres per....*[1] [* f. 32r.] *spargi per saeculum, quam ab eo, cui castitate devincta sum, per te vel per alium habeam separari.* Et mox ille: *Si Dominus*, ait, *quam cepisti constantiam, fine bono compleverit, confitebor et ego eum in te plus fecisse miraculi, quam in Agnem virginem, Katherinam vel Agatham*[2], *quas de suis hostibus virtute sua tribuit mirabiliter triumphare.* Praeterea quod iamdudum superius scripsisse debueram, cum beata Odilia adhuc infans die quadam medium iter ageret, miles quidam sertum tenens roseum venit illi obvians; cui oblatum[3] et nolenti suscipere manu dedit alapam indignationis; cuius tam vehemens fuit percussio, ut statim rubor ictui et tumor non modicus succederet post ruborem. Quae submissa facie verecunde transiens, corde non infremuit, nec quemquam respiciens cum suavi murmure impio sic respondit: *Scitote, mi domine, quod vestra mihi verbera plus placent quam munera, quia mihi forsitan plus proderunt ad salutem.* Haec de eius constantia perpaucis scripsisse sufficiat. Nunc ad ea, quae promisimus, calamum dirigamus.

Cum devotus Christi famulus eiusdem viduae in spiritu pater, in carne filius, nocte quadam raptus esset in spiritu, subito sibi crucifixi astare vidit effigiem; quam flebilibus intuens oculis, advertit etiam unum ex ipsius abscisum esse brachiis, et obstupuit vehementer. Moxque in se rediens, cognovit suorum aliquem, mortis interrumpente gladio, a se citius amputandum. Illo in tempore venit ad eum unus ex ipsius discipulis tantis et tam ferocibus agitatus daemoniis, quod eorum pondus et nequitiam non poterat sustinere; siquidem viri illi nefarii, qui praedictis matri et filio nocere non poterant, in istius discipulos volebant reflectere spiritum malignandi. Instinctu quorum agitatum puerum vir beatus amplexus est; et mox, relicto puero, in illum ipsi daemones conati sunt irruere, et totis nisibus in ipsius interitum exarserunt. A quibus permissione Dei tanta sibi est illata infirmitas, ut in lectum decidens, si egredi oporteret, inter manus astantium putares eius animam moribundo de corpore protinus egressuram. * [* f. 32v.] Porro quia mater eius, filio infirmante, non habebat a quo reciperet Eucharistiae sacramentum, per quod erat solita incolumis ab insidiis daemonum conservari, quia idem filius tunc temporis celebrare non poterat, ipsa quoque necessario intolerabilem decidit in languorem. Quam ipse consolari cupiens: *Dulcissima*, inquit, *mater, forti esto animo; neque enim adhuc morior, nec isti, qua deprimor, diutius molestiae subiacebo.* Interim autem ab eo, in quo iacebat, lectulo audiens quandam in ecclesia de beato martyre decantari antiphonam, quae *Magna vox* dicitur (1), refocillari meruit. Sed et senex ad

[1] piñe (?) *cod.* — [2] Agathem *cod.* — [3] ablatum *cod.*

(1) Ita nempe incipiebat olim ant. ad Magnificat in primis vesperis S. Lamberti. Officium illud ex codice saec. X edidit I. Demarteau in *Bulletin de l'Institut archéologique liégeois*, t. XIII, p. 389-93; idem in antiquis breviariis Leodiensibus excusum legitur.

ipsum veniens : *Si divina,* inquit, *volueris celebrare, ex hoc languore eripi et salutem pristinam poteris adipisci.* Quod verbum cum, mane facto, implere intenderet, iam erat ei melius; sed actus a daemoniis nimius audiebatur strepitus; sic enim praecognoverant eum posse restitui pristinae sanitati. Celebravit, convaluit; matrem quoque languidam precibus in canone sibi iungens in Domino, eidem largiebatur plurimum gratiae et virtutis. Factoque illo sano, iam meliorabatur et Luc. 1, 41. genetrix, quia, sicut scriptum est, primo impletus est Iohannes, et postmodum Elisabeth. Ipse autem, relicta matre, intentionem totam retorsit ad puerum iterato daemoniis agitatum; et suum, ut ita loquar, a matre retrahens spiritum, male cautus totaliter puero copulavit. Quodsi inter utrumque quasi stetisset medius, et matrem hinc et puerum inde sibi iungens in Domino, de suo spiritu uterque participans, nullius illorum passus esset excidium. Sed quia, ut diximus, relicta matre, se liberandum totum quasi transfudit ad puerum, male sana genetrix novissimum, hoc est mortis corporeae, relabitur in languorem. Quam cum in domo ruinosa per visum videret consistere vir beatus, precatus est Dominum sibi, quid portenderet, revelari. Et ecce post modicum in suae domus medio per visum vidit matrem iacere mortuam, vasque illud funereum, quo mortuorum corpora reconduntur, ipsius aspectui anteponi. Matrem ergo, mane facto, tristis adiit, separationis ab invicem tempus pronuntians imminere. Cuius verbis, quia et haec ipsa praeviderat, libens assensum praebuit, monuitque filium aequo esse animo : *Numquam,* * f. 33r. * inquiens, *te, fili, deseram, sed neque me lugendam reputes cum mortuis. Vivens enim cum Domino spiritui tuo semper ero propior, quam degens in corpore fuerim in hac vita. Super omnibus autem, quas vidisti, virtutibus laudandum Deum praedices, cuius iuvante gratia tam continuam annis duodecim, ut verum fatear, quasi carnis animaeque martyrium pertransire merui, respectu cuius nihil esse reputo eas, quas experta sum, angustias pariendi. A quo me non voluisse eripi novit ipse Dominus; tantum ut ei placeat. Nam sub hoc, quod adhuc gesto, corpore tantam mihi plerumque concessit dulcedinem, cuius in me virtus et suavitas exstingui non poterit, si in me impegerint milia tormentorum. Volo tamen ut depreceris Dominum, quatinus illos a me avertat Aethiopes, quos horrendis vultibus me video circuire.* Oravit homo Dei, et rediit, et suis illa precibus ab ipsorum incursibus se liberam acclamavit; et addidit: *Gaudere, fili, nos condecet et laetari, quia et princeps mundi a* Ioh. 12, 31. *me foras eiectus est, et ad me illi redierunt angeli vestem illam mihi perlucidam deplicantes, qua ante thronum gloriae rapta vestiri merui* (1); *ubi Deum deprecata sum, ne me prius evocaret de corpore, donec ipsam possem reconsequi gratiae dignitatem. Nunc autem quaecumque in me Dominus operari dignatus est, omnia dixi tibi, praeter duo tantummodo; quae tibi si dicerem, forte Dei contradicerem voluntati.* Cui filius : *Absit, ut illa sciam, quibus ingratus sibi fiam.* Finito colloquio, ille ad templum rediit, et cum sacris astans altaribus pro defunctis divina persolveret, Coloss. 1, 24. mater decumbens lectulo, suo quidem in corpore complens fideliter Christi pas-

(1) Cfr. supra cap. XIV.

sionibus[1] castum emisit spiritum, capite inclinato. Ioh. 19, 30. Necdum vir Dei divina peregerat, et ecce venit nuntius, felicem Odiliam pronuntians in Domino felicius obdormisse. Cuius ipse funeri se non dedit flebilem, sed intranti in requiem pia mente congratulans et intente considerans, quantis de periculis eam Deus eruerit, prae pietate nimia lacrimarum dulcedinem non potuit continere. Et conversus ad Dominum: *Tua*, inquit, *haec sunt, Christe, opera, tua miracula, qui sanctos tuos ita glorificas, ut* * *eos de hoste humani generis ita mirabiliter facias triumphare. Gratia enim haec et virtus est omnibus sanctis tuis; tibi, rex omnipotens, confiteri bonum est, qui tantam tuae famulae conferre dignatus es gratiam et virtutem, et nunc in suo exitu coronare perenniter gloria et honore.* * f. 33v. Ps. 149, 9. Ps. 91, 2.

[XXXI.] Igitur cum de beata Odilia super multis perpauca scripserimus, nunc non ipsius memoriae, sed finem dare volentes historiae, hanc in fine materiae virtutem subnectimus, quae ex eius defuncto iam corpore cognita est processisse. Cum enim, ut dictum est, migrasset a saeculo, delato pro more ad ecclesiam ipsius corpore et copioso astante populo, defunctorum exsequiae sollemniter agebantur. Astabat et ipse cum ceteris vir beatus, coniunctusque feretris totum se nisu et conamine movebat ad lacrimas, dolori quidem proprio et materno honori, prout sua intererat, satisfacere concupiscens. Cumque illi super sua matre et tali matre dolendi flendique suprema esset intentio, subito ex adiacente corpore tam mira processit suavitas, ipsum qui astabat filium a pedis planta usque ad verticem ita mirifice circumplectens, quod, si totis conaretur viribus, a se nullas usquequaque lacrimulas vel leviter poterat extorquere. Unde et ipsum propter circumsedentem populum non modicus pudor invaserat, quia talem matrem et quam viventem sic dilexerat, saltem mortuam non deflebat. Nihilominus tamen omnino plorare non poterat, quia dolorem et gemitum fugaverat ex coniunctione materni spiritus, qui filio inhaeserat, praedicta suavitatis gratia et illapsa divinitus deintus adveniens laetitiae magnitudo. Nos igitur nostrae revera martyris et viduae supersedentes historiae, ad scribendum viri Dei gratiam et virtutes, quas per eum Dominus operari dignatus est, scriptoris calamum reducamus. Et quamquam de illo non omnia prosequi valeamus, cum plura per ipsum gesta sint, quae sunt difficilia intellectu, communia nobis tantummodo, minima de maioribus et perpauca de pluribus miracula describemus.

Anno itaque ab incarnatione Domini M° CC° et XX° beata Odilia vidua * castissima migravit a saeculo mensis decembris die quarta decima (1). * f. 34r. Vivit nunc in Domino sanctarum vere speculum et titulus viduarum. Cuius corpus ex admonitione divina in beati Aegidii oratorio prope maiorem ecclesiam filius sepelire cupiens, non praesumpsit. Illorum enim in urbe nimium adhuc vigebat auctoritas, qui beatam viduam fuerant persecuti. Quorum unus, qui fuerat dux et auctor sceleris, virum Dei sic habebat odio, ut, cum ambo pariter die quodam Hugoni asta-

[1] *sic.*

(1) Non autem die 4, ut perperam scripsimus supra, p. 198, lin. 5.

rent, tunc quidem pontifici (1), et ipse praesul de aspersorio, quod aquae benedictae immerserat, iocandi gratia virum Dei aspergeret, videns hoc vir impius praesuli sic respondit, invidia stimulante: *Desine*, ait, *desine; bonum habet ductorem hic homo sine te*. Unde sui homo Dei ad praesens non compos desiderii, alibi beatam sepelivit viduam, loco illo scilicet, qui ab ara protomartyris Stephani secus maiorem ecclesiam solo muri vel parietis dividitur intervallo. In quo per septem annos tumulata iacuit, et hoc processu temporis quidam illorum hominum sunt defuncti, qui saepe dictam viduam perdere quaesiverunt. Interim quoque, Domino disponente, vir Domini donum illius suscepit ecclesiae, in qua, sicut dictum est, debuerat sepeliri. Cuius cum nutu Dei ampliari vellet parietes, plurimorumque sanctorum pignora indecenter alibi collocata in ipso, quod susceperat, beati Aegidii oratorio cuperet aggregare, Dominus eidem super hoc suum suorumque beneplacitum sub hac forma dignatus est revelare. Post cuiusdam noctis vigilias erat ipse raptus in spiritu et missae paschalis hunc introitum: *Resurrexi et adhuc tecum sum* in suo decantari audiens oratorio, properabat ingredi, sublevatisque oculis, albatorum inibi vidit multitudinem, quorum unus ceteros, sicut aries ante gregem, praestantior praecellebat, et, iam lecto evangelio, parti sinistrae altaris videbatur incumbere, et quia ipse erat beati formam Aegidii tonsura et habitu aptissime repraesentans. Quos ut vidit vir Domini, veritus procedere iam parabat regredi; sed a viro vocatus, quem descripsimus, propius iubetur accedere; cui et dicitur: *Multas*
* f. 34v. *quippe * alibi nostris consecratas nominibus possidemus ecclesias. Hic autem, dummodo nos adiuves, nostris per te adunatis pignoribus volumus commorari*. Quo favorabiliter suum spondente obsequium, finita est visio; et in se reversus mox ipse Hugonem tunc praesulem intrepidus accersivit. Qui terram, quae suo adiacebat oratorio, in qua parum quid amplitudinis ad pilare in maiore construendum ecclesia omnes canonici obtinere nequiverunt, humillimis viri Dei precibus acquiescens absque meta vel termino totam eius arbitrio dereliquit. Vir autem Dei coepto insistens operi, brevi complevit tempore, miroque tabulatu decoratum praefatum pontifici oratorium humiliter obtulit consecrandum. Quod idem digne consecrans in honore primo quidem beati Aegidii, deinde beati Lamberti martyris, — sic enim vir beatus accepit a Domino, — tali ditavit munere, ut ab eodem tempore iugiter et perpetuo in dedicatione annua tota ipsa hebdomada quisquis petiturus ingreditur, ipsius auctoritate praesulis quadraginta dies indultae sibi veniae se gaudeat impetrasse. Nos vero, his omissis, coeptum propositum prosequamur.

[XXXII.] Et ecce illucescente post matris decessum die tertia, sancta ipsius
Ps. 44, 10. anima in vestitu deaurato omnique virtutum varietate circumamicta filio suo
Act. 12, 7. astitit, et lumen refulsit in habitaculo. Admirantique filio et prae cordis gaudio vix credenti matrisque gloriae congaudenti: *Ne timeas*, ait. *Sum enim, fili mi; ne turberis super me, nam libera a tormentis iam ascendo ad Patrem, ipsi in supernis sedibus socianda, quem in terris posita pura mentis intentione quaesivi*. Nec plura his. Haec dicens disparuit. Igitur ne lateat quantum haec sancta vivens

(1) Cfr. supra, p. 230, not. 1.

Christum dilexerit, quamque puro corde crucifixo adhaeserit, liquet in eius transitu, quae solum retardata per triduum est a regno, quantum videlicet corpus dominicum iacuit in sepulcro. Brevi autem postea intervallo temporis ancillam suam Dominus volens et praeordinans collocari sublimius, suo servo per visum innotuit, ut ad locum alterum sacrae glebam viduae transportaret. Ille vero, ut erat mentis pavidae, propter murmur hominum distulit oboedire. * Super quo quasi (* f. 35r.) exacerbato Domino, matris suae viduae sarcofagum in seipso deficiens paulatim coepit destitui et tamquam corrosum a canibus, sic divisis a caemento lapidibus, ac si mole nimia gravaretur, totum ab invicem separari. Quod videns quaedam mulier et virum Dei alloquens: *Qui matrem vestram*, ait, *vos tantum dicitis dilexisse, cur ipsius tumulum sic sinitis deperire?* Tunc ille a femina praemonitus a perito artifice iussit illud citius reparari. Sed sicut Isaac mane fodiente puteos, nocte replebant allophyli, ita quod reaedificatum fuerat, videbatur casu reciproco annullari. Nihilominus in sua permanens simplicitate, corpus viduae timebat omnimodis (Iob. 2, 9.) transportare. Porro secus suum oratorium locus erat spatiosus quidem, sed scholarium pleramque transeuntium incuria vitiatus. Cuius tactus importunitate vir Domini episcopum adiit, recludendi locum humiliter petens licentiam, ut sic, eo intercluso, foetor omnis fugaretur ab oratorio; sed frustratus spe concepta, tristior a praesule revertitur, prece sua super hoc nullatenus exaudita. Et merito; debuit enim illi in modico potestas humana resistere, qui omnium potestatum Domino in magno noluit hactenus oboedire. Illo autem tempore divina ultio manum mittens (Prov. 31, 19.) ad fortia, cum sciret servum suum plus iusto trepidum ad transferendum pia matris pignora et eundem praemonitum secretis indiciis, confractione tumuli, mulieris precibus et contradictione praesulis, adhuc tamen in sua permanere formidine, novissime sic percussit ut, qua gravabatur, infirmitas mortem iam palam faceret citius affuturam. Tandemque in se reversus: *Merito*, inquit, *haec patior.* Factusque in agonia orabat prolixius; effundensque sicut aquam cor suum ante (Luc. 22, 43. Thren. 2, 19.) Dominum, sacrificium illi gratuitum offerebat, licet fuerit vespertinum. At post- (Ps. 140, 2.) quam de infirmitate convaluit, accersitis, quos habebat, discipulis, locum sepulturae adiit, die prius ad vesperum declinata; revolvique faciens lapidem ab ostio monu- (Marc. 16, 3.) menti, defossa humo, loculum aperuit ac ceptis bonae matris ossibus et eis munda in sindone replicatis, * cineribusque corporis in olovitreo sibi a quodam (* f. 35v.) viro praestito decenter reconditis, ne factum cuiquam innotesceret, fossam rursus operuit, et sicut silenter venerat, sic recessit. Inspiciensque et perpendens pedum sibi aliquam deesse particulam, secundo locum adiit, fragmenta recolligens, ne (Ioh. 6, 12.) perirent. Et ecce hostis ille satanas pio filii invidens desiderio, in forma canis horridi, stridore gravi dentium torvoque intuitu nihil aliud quam daemonem repraesentans, coram illis apparuit, locumque horribili vultu respiciens, gravi voce infremuit et recessit. Prae timore cuius exterriti discipuli facti sunt quasi mortui, (Matth. 28, 4.) et quid sibi contigerat, penitus ignorabant. Quos consolans vir Domini: *Viriliter*, inquit, *agite; nequam ille pertransiit.* Itaque residuum operis pacifice peragentes, partem, quam requisitam invenerant, corpori reliquo coniunxerunt. Quod ubi ad lavandum ventum est, odor inde tantae suavitatis efferbuit, ut omnium aromatum

fragrantiam superaret. Et hoc quidam firmissime presbyter testabatur, qui hora illa stans pro foribus thalami, quo talia gerebantur, se insolita odoris novitate sic Gen. 28, 16; Ios. 5, 16. affectum asseruit, ut paene deficiens prorumperet in haec verba : *Vere locus iste sanctus est, et ego quidem nesciebam*. Tam mira enim suavitas ob odoris fragrantiam illum invaserat, ut ante caeli ianuam crediderit se stetisse. Sacrorum igitur facta ossium lotione, vir beatus in sequestro illa reposuit, parum pausare deliberans ab opere iam incepto, ut ad residuum peragendum posset aliquando fortius aspirare. Evoluto autem postmodum tempore non modico, ipse thesauri non immemor penes se reconditi, hoc est praefati corporis, gratiosae suae basilicae ingressus est limina et de illo quid ageret, tractans in animo, locis cunctis postpositis, illud retro secus aram beati Aegidii sui patroni venerabilis duplici de causa recondere praeelegit; prima, ut illic ad tempus suae corpus matris haberet domicilium, quae in ecclesia sancti eiusdem Aegidii de Provincia, adstante sua matre coram altari, et vim ingrediens animae, sentiente dicta vidua, primum sumpsit suae nativitatis exordium. Secunda causa exstitit, ut cum eius filius sacris adstans alta- * f. 36r. ribus * et tamquam praesentis memorans genetricis deprecaretur Dominum, mater ipsa iam ad impetrandum facta potentior et preces filii devote suscipiens, devotius ea divino offerret conspectui, et unus cum filio facta spiritus, adhuc degenti in corpore in omnibus subveniret. Gloriosa igitur matre in loco disposito et optato digne satis reposita, vir beatus magnificabat Dominum. Peractis enim omnibus, nec murmur resonat, nec querimonia, sed corde tacito (1) omnis invidia ita conticuit, ut non de praedictis Dei hominem molestare praesumeret, sed in omnibus, quas viderat, Dei virtutibus Deum potius visa est collaudare. Et nunc tua, Iesu bone, bellatrix emerita, secus aram sepelitur nusquam mundo cognita; nulli tamen est dubium, quin antecedat plurimos gloria dignitatis, quae vivens in corpore sub luce clarissima totiens fruebatur visione mirabili sanctae et individuae Trinitatis, cui est virtus et gloria, honor et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

[XXXIII.] Erat autem in ipso viri Dei oratorio vas quoddam olei receptaculum, quod ad luminaria nocturnis horis iugiter nutrienda oleo replebatur. Ob honorem igitur olovitrei supradicti, sacros cineres continentis, quasi procidens in faciem, parte superiore demissa effusoque oleo, ipsum adorare visum est, venera- I Reg. 5. tionem illam non degenerans, quam Dagon deus Azotius fecisse legitur ante arcam. Facto mane, quia liquor olei per plana defluens pavimentum, quod suberat, umectavit, vir Domini effusum videns oleum, ministrum suum durius increpavit, cur illud incautius posuisset. Porro quod coeperat vas illud, cum damno et iactura olei pluries actitans, a tam iucunda sui veneratione comparis non quievit, quousque, palam facto magis ac magis miraculo, multis venerandi sacrae corpus viduae tribueret appetitum. Unus autem ex viri Dei discipulis vas praefatum in locis multis aliis per oratorium horis insequentibus constituens et ei obstacula non * f. 36v. pauca circumquaque * adiciens, septies et amplius ipsum probavit miraculum; semper enim, facto mane, vas ipsum repagula cuncta transierat, dictam veneratio-

(1) *Nec murmur-tacito :* ex hymno *Sanctorum meritis inclita gaudia.*

nem repetens, longius a loco, in quo prius locatum fuerat, separatum. Alter vero iuvenis rei tantae fidem non adhibens, quippe qui cunctis, quae audierat, mentis erat contrariae : *Nisi videro*, inquit, *non credam;* acceptisque quasi furtim omnibus, Ioh. 20, 25. quae ostio supererant, clavibus, audita firmiore signaculo sic studuit explorare. Vase etenim illo suo non in loco reposito, sed procul a gradu presbyterii spatio quinque pedum, lapillulis quoque adhibitis, aliis etiam suae artis machinis vas illud undique fulcientibus, obserato ostio, ne pateret aditus ipsum oratorium intrare volentibus, clam secessit a loco paululum, ut, facto mane et vase nullatenus inclinato, sic aliorum fidei incredulus insultaret. Vas nihilominus, quod quidem dictu mirabile est, a virtute Domini tamquam in aera sublevatum, omnia infidelis celerrime argumenta praetervolans, a longe quasi duorum[1] spatio cubitorum prona facie sui reverentiam comparis signo mirabili testabatur. Appropinquante vero diei illius summo diliculo, surrexit incredulus, et qui a suae somno pigritiae vix poterat excitari, nunc seipso factus alacrior anticipatusque socios primus venit ad oratorium, et primus omnium introivit. Factum quoque videns mirabile confusumque se diiudicans : *Parcat mihi*, ait, *Dominus; nollem quippe pro re grandi, quin meam fidem usque modo dubiam tam evidenti miraculo quasi signo palpabili confirmassem.* Igitur de beata vidua supersedentes colloqui, quoddam filii sui, scilicet viri Dei, miraculum hic duximus annectendum.

[XXXIV.] Erat infra nostrae civitatis ambitum matrona quaedam venerabilis, quae viro iuncta legitimo, duorum erat genetrix parvulorum. Hanc ille supradictus hypocrita, qui tamdiu nostram Odiliam quondam tam acerbe * vexaverat, ille, *f. 37r. inquam, tam multarum proditor et perditor animarum, missis ad ipsam occulte daemonibus, expetivit, ut cribraret sicut triticum, quatenus, percussa matre, filii Luc. 22. 31. deperirent. Cuius occasum praevidens compatiensque filiorum casui, vir beatus Dominum suppliciter precabatur ut, viri sceleratissimi repressa nequitia, a matre et pueris versutiam repelleret inimici. Igitur quodam tempore cum complerentur dies non gaudii, sed maeroris, dies, inquam, pariendi filium, quem ex viro legitimo Hebr. 12, 11. nasciturum illa susceperat, venerat quidem filius usque ad partum, sed vires non habebat parturiens, quia circumsaepta daemonibus totius virtute tam corporis quam spiritus frustrabatur. Nocte autem illa, qua mane precibus viri Dei liberanda erat mulier, vidit idem in spiritu mulieris capiti se manum superponere et cum salute prolis venturae a partu tam misero eripere laborantem. Facto mane, cum visitaturus festinaret ad feminam, sed pro pudore partus vereretur ingredi, audito eo, suspirans ingemuit et clamavit : *Accede ad me, pater mi, benedicatque mihi anima tua, antequam moriar.* Tunc ille ingrediens imponensque manum, sicut Gen. 27, 4. nocte praeviderat, benedixit languidam, ab omni prorsus absolvens crimine confitentem. Vix autem egrediens vicum unum processerat, et mulier iam pressurae Act. 12, 10. non meminit, quia natus est homo in mundum. Ioh. 16, 12. Ab illa quippe hora compassionis spiritu sic se infirmanti coniunctum asseruit, ut defectum animi corporisque inediam, quae in partus labore illa sustinuit, se pati totaliter Dei famulus affirmaret.

[1] duum *cod.*

Et merito. Nam cum illi, sancto coadunante Spiritu, unum essent in Domino, nihil mali poterat ista pati, quin iste compatiens pateretur. Siquidem multis vexatam daemoniis tam valide languidam hypocrita dictus vexaverat, ut, membris emortuis et spiritu lassescente, extremum anhelitum illa statim se crederet exsufflare. Unde (* f. 37v.) die cottidie vir Dei adveniens et * proprii calicis ablutiones deferens, mulieris refocillando spiritum mirabiliter recreabat. Cognovit autem homo nequam quod per Dei famulum mortis mulier evasisset periculum; mandavit ei per suum ipsius confessorem, ne se amplius infestare praesumeret, quia precum suarum pondus non poterat sustinere; iteratoque ipsum accersiens et stomachanti ore improperans : *Cur sic*, ait, *instas pro parte illius feminae et in meum dedecus partem sic defendis viriliter puerorum?* Cui humiliter ipse dixit : *Si suos Dominus, quando vult et* (Matth. 27, 4.) *sicut vult ab hostis nequitia disponit protegere, quid ad me? Tu videris.* Mirum est valde quod sequitur. Processu namque temporis cum valetudo corporis virtusque animi remearet in feminam, et vir eius, ut est moris carnalium, illi cohabitare cuperet, pro eo quod vir Dei suum matronae, sicut dictum est, spiritum coniunxerat, corpus mariti tantis subito irretitum erat incommodis, ut quandocumque carnis (Rom. 13, 14.) curam in desideriis vellet perficere, nunc tremens et pallidus, nunc fervens et anxius, vix ultra se poterat continere; requisitisque medicis, erat cunctis incognitum ex cuius morbi materia vel radice tam crudelis infirmitas processisset. Nec immerito. Tanta enim servo suo gratiam virtus divina contulerat, ut, ex quo suum cuivis personae spiritum coniunxisset, ipsam Deus carnali qualibet illecebra pollui non sinebat, ne sic vel ad modicum videretur castitatis offendere amatorem. Post(Ps. 30, 22.)quam vero sic suam Dominus cum matrona mirificavit misericordiam, rapto Dei viro in spiritu, astitit iuxta illum candidatorum turba perlucida, laudes eius et meritum exprimens in haec verba : *Vir iste in populo suo mitissimus apparuit,* (II Mac. 15, 14.) *sanctitate et iustitia plenus. Iste est qui assidue orat pro populo et pro sancta civitate ista.* Quo cantato responsorio, vir Dei subsequens versum huiusmodi accla(Ps. 108, 4.)mavit : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.* Interea natus (* f. 38r.) infans * inter tot discrimina, mox ut baptismi pervenit ad gratiam, migravit a saeculo, sanctorum iunctus collegio innocentum. Quibus actis, vir Dei a Deo praemonitus, recollecto spiritu, totum se sibi restituit, et maritus feminae liber a dolore pristino reinventa gavisus est in uxore. Verum priusquam praefatum mortis periculum dicta mulier evasisset, alterum quendam puerum viro Dei satis carum contigit graviter infirmari. Ipse igitur non immemor qualiter matrem suam ab hac vita perdiderit, cum, sicut iam dictum est, relicta matre, quae lectulo decumbebat, totum suum ad alterum male sanum puerum reciprocasset spiritum (1), ex illo casu factus in isto cautior, stetit utrimque medius, nec ex toto scilicet matronae isti iunctus, deserto puero, nec suum omnino spiritum fundens in puerum, ut infirmam relinqueret mulierem; sic igitur utrisque singillatim de suo participans spiritu et eundem totum sibi conservans in Domino, ambobus obtinere meruit gratiam sanitatis. Et de his praedicta sufficiant.

(1) Vide supra, cap. xxx, p. 242.

Verum quia, ut meae satisfacerem sponsioni, et antiquum statum Leodiensis ecclesiae et beatae Odiliae utcumque perstrinxi stilo qualicumque historiam, fateor nunc quia fessus haereo; timor enim et hebetudo mentis cecidit super me, propter eas latentes, quae me coangustant, daemonum nequitias, et suo strepitu, quem circa me die noctuque audio, dolentium, inquam, me scripsisse quae scripta sunt; et sic mihi corporis robur et vigorem adimunt, quod nec loqui ad plenum valeo vel scribendo tenere calamum digitumve movere. Igitur ut ad depromendam secundi libri materiam, in qua de viri Dei virtutibus et gratia beatoque eius transitu series congesta describitur, fortius valeam aspirare, de supra dictae magno mari exemptus materiae, mihi vestri gratia respirare parumper sit licitum. Nam et si cuncta, quae dicenda nunc occurrunt, praesenti voluero libro concludere, * modum excedet sermonis prolixitas et vires forsitan aliquorum. * f. 38v. Reserventur itaque, quae supersunt, secundi libri scribenda principio, ne lectori forte subrepat fastidium, sed ad audiendum faciat famelicum, qui virtute sua et hostiles nequitias potenter exsuperat, et fideles sibi aeternas invitat et perducit ad epulas, Pater omnipotens, qui est super omnia Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen. Rom. 9, 5.

Finit liber primus.

Incipiunt capitula secundi libri.

[I.] Probatio auctoris, cuius ante Deum vir Domini fuerit dignitatis.
[II.] Quantae fuerit intellegentiae et cuius in oratione virtutis.
[III.] Qualiter Hugonem episcopum a sede Remensi ad sedem propriam revocavit.
[IV.] Quid utilitatis attulit eius revocatio.
[V.] Qualiter idem Hugo obierit, et quod, Dei famulo mediante, sit salvatus.
[VI.] Quanta mala emerserunt post Hugonis illius obitum.
[VII.] Quomodo periculis se opposuit vir beatus.
[VIII.] Quod omnium victor exstiterit et daemonum triumphator.
[IX.] Quantae devotionis fuerit.
[X.] Quaedam inserta eius miracula.
[XI.] Qualiter in hac vita multorum precibus sit retentus.
[XII.] Quod praefatus Hugo ipsum excitare venerit.
[XIII.] De beato eius transitu.

[I.] Libri secundi scripturus principium, illud mihi replicandum arbitror, quod in prioris parte voluminis inscribitur (1), quatenus continuari possit historiae series

(1) Nempe lib. I, cap. vii; supra, p. 211.

ordinata, ut, fine totius operis concordante principio, prima novissimis pari foedere valeant coaequari. Neque enim illic otiose scriptum invenies, quod nascens huic saeculo vir beatus per stolae characterem inter scapulas consecratus apparuit, ut futuri meriti iam esset indicium, quod in ipso vitae eius exordio sic fuerat praeostensum. Meritum ergo eius describendum aggredior, ut sciant omnes et cognoscant singuli quanta apud Dominum dignitatis gloria vir beatus enituit, et stola
* f. 39r. sanctissima qualiter sit amictus, licet * datum non fuerit secretum huiusmodi hominibus intueri. Sed nec ego alicuius gloriae derogabo, cum hunc beatum virum inter apostolicos sacerdotes censuerim, quia ipsum et vitae sanctimonia et praerogativa gratiae aut aequabit aut praeferet praesulum dignitati. Nam et esse praesulem in conspectu Domini, maioris est gratiae, quam in sola superficie hominibus apparere. Plures enim hodie inthronizantur in praesules, qui tamen heu! quod pudet dicere, divino proiecti iudicio, non in sorte praesulum, sed magis inter laicos reputantur. Vocatorum siquidem ad pontificium huic mundo superexcrescit pluralitas; verumtamen ante Deum, pro pudor! invenitur raritas electorum. Haec idcirco dixerim, ut, cum viri huius per argumenta plurima, teste Deo, gloriam approbavero, ipsum rationis iudicio faciam concurrere in summorum ordinem sacerdotum.

Igitur cum ipse adhuc iunior nullis ecclesiae polleret stipendiis, duo ex ipsius sodalibus, quorum alter postmodum in coenobio, quod Vallis Dei dicitur (1), manum
Luc. 9, 62. mittens ad aratrum sic crevit in gratia, ut ipsius prioratum monasterii mereretur suscipere, et isti, inquam, idem simul viderunt somnium futurorum praesagium in hunc modum. Videbant in maiore Leodiensi ecclesia, quae totius est caput diocesis, praefatum nostrum iuvenem sacro altari assistere et in veste pontificis et gloria divina missae tractantem mysteria, copioso populo circumstante. Quod cum coram suis quam multis comparibus, illo praesente, edicerent, illorum quidam aemuli :
Gen. 37, 8. *Unde*, inquiunt, *noster eris episcopus aut subiciemur dicioni tuae?* Aemulorum vero ille declinans invidiam, Domini beneplacitum super his humiliter exspectabat. Nec multo post eiectus est quidam ab ecclesia, qui ecclesiasticis abutebatur beneficiis; in cuius loco noster subrogatur iuvenis, qui, sicut supra dictum est, ad gradum pertingens sacerdotii, in ipsa ara maioris ecclesiae, circumstante multotiens populo, celebravit; tantamque apud maiores ecclesiae gratiam obtinuit, ut, quod
* f. 39v. nulli absque eo concessum antea vel concedendum credimus in futurum, * ipse inter quosque nobiles et in claustro, quod solis competit canonicis, mereretur claustralem accipere mansionem. At cum die quadam simpliciter intraret in ecclesiam, ecce cantor vir nobilis, cui electum episcopum de iure convenit installare, nostrum iuvenem tunc temporis apprehendens in loco ipso, qui pontificem solum condecet tantummodo, non intendens quid ageret, installavit. Sed ne in longum videar sermonem protrahere, intimabo breviter, quod relatu percepi veridico, ut palam sit omnibus nostrum ipsum iuvenem ad summi gradum sacerdotii ante Deum in

(1) *Val-Dieu*, abbatia ordinis Cisterciensis, haud procul Leodio versus Aquisgranum. Cfr. *Gall. christ.*, t. III, col. 1024.

spiritu pervenisse. Apparuit ei per visum adhuc florens in saeculo Hugo pontifex, illo stans in loco, quo martyr egregius Lambertus occubuit; qui se indignum gloria tantae dignitatis vociferans, omnia, quibus erat amictus, pontificalia illi reddidit ornamenta, ac si compulsus talia loqueretur :

Pater, siderea Christo gratissime vita,
Caelitus oblatum tibi suscipe pontificatum.

Quo oblato, non statim evanuit, sed tamquam in defossum ibidem sepulturae suae locum coram Dei famulo descendisse visus est, ut daret intellegi ipsum inibi praesulem debere sortiri post funera sepulturam (1).

Praeterea cum mater eius Odilia adhuc iuvenis pro suo illo filio invigilaret precibus, vidit eum in spiritu manibus sublevatum angelicis et in pontificali, quae apud Leodium est, cathedra deportari, consecratumque ab eis et redimitum infula pastorali, necnon innixum baculo omni praesulatus gloria totaliter decorari. Factumque est ut, cum postmodum multorum canonicorum vallatus agmine iuxta ipsam cathedram vir beatus consisteret, ipsorum ex abrupto levatus in manibus et praefatum coactus tenere et portare baculum, in typo pontificis cathedrae illi insidere cogitur, et clamantibus, qui aderant, et dicentibus : *Vivat episcopus Iohannes!* ad ipsum autem : *Tu,* inquiunt, *noster eris episcopus, quia te super nos volumus dominari.* Hoc autem totum factum est, ut, ipsis licet nescientibus, nihilo- Matth. 1, 22.
minus *impleretur quod de illo matri[1] Odiliae fuerat praeostensum. Porro ne lateret * f. 40r.
quantus honor super his viro Dei ab omnibus deferretur, emergentibus causarum negotiis, Tungris et Traiectum, quo sedes olim fuere diocesis, beatus vir adiit, honorificeque susceptus ab ecclesiarum maioribus, in loco, qui solus soli congruebat pontifici, ab incautis statuitur, et sic, pro quibus venerat, causarum negotia finem debitum pacifice sortiuntur. Erat praeterea vir quidam in urbe magnus et fama et opere, qui vidit somnium, et visum viro Dei rettulit in haec verba : *Videbam,* ait, *te nocte hac, pater bone, vestitum more pontificis, et ipsius sollemni residere in cathedra, pallaque mundissima, quae procedebat a te, circumsedentes tuos operiri discipulos, me quoque una cum eis ab eodem tegmine coopertum.* Qui postmodum vir in extremo constitutus spiritu, quando scilicet mentiendum non est, adstanti sibi Dei viro : *Eia,* inquit, *pater, unde poteris memorari, quomodo iam pridem et sub quanta gloria te viderim decoratum? — Memini,* ait, *et bene memini.* At aeger : *Et ego,* inquit, *per eam, quam a Domino accepisti, dignitatis gloriam, obnixe te deprecor et adiuro, ut, cum tibi bene cum Deo tuo fuerit, immemor esse nolis filii morientis. Tuis enim precibus me poteris adiuvare et apud pium iudicem de meis sceleribus veniam impetrare.* Quo spondente, vir ille carne solutus est. Factum est quoque in una dierum, cum discipulorum pii patris appropinquaret divisio, ut alii doctrinae

[1] mater *cod.*

(1) De Hugonis sepultura *ante altare sanctorum Cosmae et Damiani, ubi beatus Lambertus martyrio coronatus est,* cfr. Chapeaville, op. cit., t. II, p. 251.

gratia Parisius ire disponerent, alii quoque saeculum et ea quae sunt saeculi relinquentes, ad serviendum Deo in Cisterciensi ordine suavi iugo eius humilia colla submitterent, ipse pater orbatus filiorum solacio, eorum nequaquam poterat sustinere absentiam, sed eosdem suo commendabat per fletus et lacrimas Creatori. Unde nocte ipsa, qua mane factum est divortium, rapto illo in exstasi, ecce dealba-
* f. 40v. torum turba non modica apparuit iuxta illum, hoc responsorium (1) * voce consona depromentes:

Egregius praesul fratres benedixit, et infit:
O Deus omnipotens, caelestia lumine complens,
Hos, exposco, tuos benedic per saecula servos.

Quo cantato, vir beatus voce mediocri ipsum cantum subsequitur, illisque tacentibus, versum dixit:

Protege ab insidiis, serva virtutibus almis.

Tenellis igitur et dilectis orbatus filiolis, quos hactenus in disciplina morum profectuque virtutum Deo nutrierat, ipse velut arbor, quae spoliata foliis praescisisque ramusculis prope interitum est, suorum lamentabatur iugiter absentiam filiorum; utque suum in aliquo posset relevare spiritum, Vallem Sancti Lamberti (2), in qua quidam ex suis discipulis regularem vitam et habitum susceperant monachalem, frequentius invisere cogebatur. Interdum vero misertus eius Dominus dedit illi amplius in novorum exsultare ventura progenie filiorum, quam fuisset in priorum divortio gemebundus. Unde raptus per spiritum ante conspectum Domini, hoc tam
Eccli. 24, 11-13. dulce canticum psallere videbatur: *In omnibus requiem quaesivi et in hereditate Domini morabor. Tunc praecepit et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Et dixit mihi: In Iacob inhabita et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices.* Cantici cuius ipse, animo exsultante, debriatus sapore et intellectu mellifluo, priores discipulos Domino commendavit; et finem ponens lacrimis terminumque dolori, exhortationis suae plantulas et radices in nova deinceps filiorum sobole, cooperante Domino, disposuit dilatare. Sic itaque visiones, quae lectae et visae sunt de gloria viri Dei, spiritaliter prophetabant ipsum in conspectu Domini animarum pastorem et episcopum innocentum. Frater quidam etiam, cuius nomen inseri aemulorum non sinit invidia, sub eius magisterio et doctrina a puero fuerat educatus. Qui voto se astringens, longe positus est ab eo
* f. 41r. in quodam Cisterciensis ordinis coenobio, Christo deliberans militare.* Et cum esset ibi, tunc primum coepit experiri quam dulcis et necessaria sibi esset tam pii patris praesentia. Unde vix aliquando a fletu poterat continere (3), patris huius sibi tam necessarii reminiscens. Cuius pater cum pium erga se amorem filii et ardens cognovisset desiderium, quia suam ei praesentiam continue non poterat ostentare,

(1) Quattuor versiculi, qui sequuntur, desumpti sunt ex antiquo officio S. Lamberti de quo supra, p 241, not. 1; vid. Demarteau, l. c., p. 392. — (2) Abbatia ordinis Cisterciensis, haud procul Leodio versus Hoium. Cfr. *Gall. christ.*, t. III, col. 1021. — (3) Cfr. infra cap. III: *non continebat a lacrimis* (p. 256, lin. 19).

et puer alterius deditus voluntati ad patrem, quotiens incitabat affectio, non poterat remeare, saltem per visum illi apparens, spiritus eius non mediocriter relevabat maestitiam, Domino sic volente. Idem vero frater postea confessus est Dei virum sibi apparuisse multotiens in veste pontificis, prout altari solet celebraturus assistere. Vestis autem erat tam candida, quod nil unquam tam candidum sic viderat in hac vita. Et merito. Vestis quidem gloriae viri Dei evidens est testimonium, cum color albedinis, quae in veste visa est, castitatis ipsius sit praevalens argumentum. Et de quam multis tam pauca sufficiant.

[II.] Porro mihi ad alia calamum dirigere cupienti insultat a latere detrahentium lingua vaniloqua et susurronum contumax aemulatio non fidelis, qui hanc meam schedulam a scribente rapere et dentibus, si facultas suppeteret, discerpere gestiunt et mecum omnimodis verbis volunt contendere pro praemissis. Ego autem factus sum sicut homo non audiens, solummodo proferens hunc sermonem : Ps. 37, 15. Vobisne sufficit, o vos illi — ad amicos meos loquor — de gloria viri Dei tot argumentorum testimonium tam fidele? Sed esto, pellis aethiopissae mentis vestrae mutari Hierem. 13, 23. non poterit; relictis vobis, qui mihi sine causa vim inferre nitimini, ad fideles socios colloquium hoc converto. Nam et ipsa materies non verbosis contendere, sed credulos tantummodo auditores expostulat, quos intentione simplici provocat ad credendum.

Quoniam quidem gloriae mater et gradus est virtus ad gloriam, viri Dei gloriae notato principio, quo in praesentiarum positus, licet mundus non agnosceret, fruitus est ante Deum, qua sit virtute praeditus et quam multiplici libet * inserere, ut plenus * f. 41v. ipse virtutibus resultet in gloria, quod ad veram gloriam conscenderit ex virtute. Nam cum esset humilis in persona et habitu despicabilis, mundo huic cognosci non appetiit; sed loco semper recumbens in humili, latebat lucerna sub modio, Luc. 14, 10. Matth. 5, 15. donec, suum magno illo patrefamilias intrante convivium, positus ab eo super candelabrum luceret his qui in eius domo sunt, et ascendens superius coram simul discumbentibus coronam mereretur accipere gloriae et honoris. Sciens quippe et Ps. 8, 6. intellegens virtutem quamlibet moveri posse vento favoris et ignaviae, si illi defuerit humilitatis stabile fundamentum, in convalle humili usque modo latuit, fallacesque hominum contemnens gloriolas, sudores suos in caelo reposuit, quos tam multipliciter effudisse monstrabitur pro salute populi et pro conservanda gloria Legiae civitatis. Cuius ego longe ab eo positus auditis virtutibus eius[1], videndi eum tanto sum affectus desiderio, ut iam arderet animus vitam illius scribere; et quicquid hic scriptum est, in quantum interrogari potuit, ab eodem sum sedule sciscitatus. Quaerentique ut scriberem, explicare renuit, nisi prius data fide promitterem silere omnino quae diceret, quoadusque ipsum humanis rebus contingeret excessisse. Et spopondi. Tum ille : *Cum mihi,* ait, *fili care,* — sic enim me vocabat, — *pro minimo sit an meam contingat vivere post fata memoriam, taciturnitatis tamen argui pertimesco, ne laudi divinae*

[1] *Vox redundans.*

videar esse contrarius, si Domini opera nostris operata temporibus praesumpsero reticere. Et hoc solum, Deo teste, me ad loquendum provocat, ut qui sum genere et persona humilior et, quantum humanos spectat ad oculos, vix alicuius momenti appareo, eo laudetur amplius, qui per talem tantillumque tam mira ac talia dignatus est operari. Fateor ego etiam quod, cum mihi vir beatus haec et his similia loqueretur,[1] inter loquendum tam immenso pondere desuper venientis gratiae replebatur, ut auditorem quoque supereffluens irrigaret copia, et factum ex auditu famelicum ad scribenda sequentia sollicitius inflammaret.
* f. 42r. Siquidem sermo eius in Dei * semper versabatur gloriam, et quantum ad proximum totus erat de fugiendis vitiis, de castitate corporis, de puritate animae et de virtutibus acquirendis. Quam mira illi in huiusmodi sermocinatione gravitas, plena dignitatis auctoritas, quam prompta illi facilitas in exsolvendis difficilibus Scripturarum quaestionibus, quandoquidem Deus illiterato licet hanc gratiam voluerit non deesse. Unde cum daemoniacus quidam dominicam coram multis orationem ediceret, quaesitum est a viro Dei, quo-
I Cor. 13, 1. modo tam sacra verba nequam [1] spiritus loqueretur : *Factus est*, ait, *hic spiritus velut aes sonans aut cymbalum tinniens, cum tamen caritate sit vacuus.* Sed quoniam ad hanc partem multos mihi incredulos iam insultare praesentio, quippe quos[2] viderim me hoc dicente non credere et toto nisu contradicere, ipsum testem invoco, sine quo fidelis nemo est, me ex nullius ore tantum aliquando suavitatis et gratiae tam puri et vivi sermonis, tantumve scientiae percipere potuisse, maxime cum sermo incideret discernendi virtutes a vitiis vel etiam Eucharistiae sacramenta.

Sed quid dicam? Deficiente tempore, vocis quoque cessante organo, defectum non patitur superexcrescens copia illius gratiae ac virtutum. Nam etsi exteriorum eius actuum utcumque multitudinem explicare potuero, interioris sui hominis pulchritudinem, virtutem, iustitiam quis loquetur? quam potens in precibus, pernox in vigiliis, temperans in prosperis, constans in ieiuniis, patiens in iniuriis, humilis in omnibus, fortior in adversis? Rem audi dignam praeconio dignamque relatu. Orationis siquidem illius iuvenis quidam sensit efficaciam, qui in quoddam crimen nuper lapsus fuerat, sed hoc ipsum viro Dei pure et humiliter est confessus. Quo orante, visum est iuveni sequenti nocte per somnium, quod vir Dei pro se celebraturus altari assisteret, ipse vero iuvenis iuxta illum. Cumque ille voce levata *Gloria in excelsis Deo* inciperet, illud quod sequitur iuvenis laetus intonuit : *Et in terra* scilicet *pax hominibus bonae voluntatis.* Intellexit itaque iuvenis in praedictis quod viri Dei precibus pax sibi esset reddita, dummodo in reliquum in voluntate bona fieri vellet cautior de peccatis. Cumque nocte super his scrutaretur et de data venia certior vellet esse, gloriosa virgo, ut sibi putabat, in somnis apparuit, quasi
* f. 42v. alterum Theophilum sibi reconcilians[3] (1),* iuvenem ipsum suae restituens gratiae et

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] quas *cod.* — [3] reconsilians *cod.*

(1) Vid. Miraculum B. V. Mariae de Theophilo vicedomino paenitente, *Act. SS.*, Febr. t. I, p. 483-7.

socians sanctitati. At cum idem de impensa venia nullatenus ob praedicta perfectae spem veniae corde posset concipere, se triduo et amplius afficiens in lamentis, tristis et maerens orabat ad Dominum, ut, si non suis precibus, saltem patris tam sancti meritis signum aliquod, signum, inquam, dominicae passionis, quo posset sperare de venia, sibimet dignaretur ostendere, sciens se tunc verissime liberum, quem filius (Ioh. 8, 36.) voluit liberare. Haec illo cogitante et orante, repente tamquam redivivis sauciatus ubique Christi vulneribus sub quinque horarum spatio ex ipsius corpore tam copiose tamque visibiliter coepit sanguis effluere, ut, lota stola sua quasi ad oculum (Apoc. 22, 14.) in sanguine agni, non posset amplius de venia desperare. Et qui vidit et agnovit, hoc (Ioh. 19, 35; 21, 24.) testatur, et scimus quia verum est testimonium eius. Ceterum extrema virtutum viri Dei tamquam palpare visus sum; sed et exteriorem ipsius hominem vix potero praedicare, quem uno eodemque modo semper ita agebat, ut caelestem quodammodo laetitiam, si quis [1] bene inspexerit, vultu sereno praeferens etiam ultra naturam hominis videretur. Qui licet nulli umquam, non dico detraxit, sed nec vellet detrahere, immo, quod perfectionis insigne est, semper bonum pro malo reddere, quam plures verumtamen virtutibus vitaeque suae patiebatur aemulos, et, quod magis dolendum est, qui populum Domini religionis habitu, doctrinae et sermonis officio regere videbantur, hi in eum pro nefas! asperius grassabantur etiam sine causa. Suffero [2] quos nominare non expedit; legant qui voluerint; qui nolunt abiciant; pro fide enim praemium credenti recompensabitur non legenti. Sed in his quid immoror? Dies ipsa praeteriens et fides audientium stilum ipsum revocat ad explendam citius lectionis seriem, ne audiant aemuli quod credere dedignantur.

[III.] Cum (1) facto de medio archipraesule, sedes vacaret Remensis ecclesiae (2), quae post primam Petri cathedram Roma secunda dicitur, ad quam noster piae memoriae Hugo pater venerabiiis [3] iam dudum anhelaverat, bono pacis in vicem concordante, eligentium votis convenientibus in unum, ipse Hugo pastoris loco subrogandus * eligitur (* f. 43r.), electusque requiritur, ut, spreto quantocius Leodiensium baculo, honoris tanti gloriam non differat acceptare (3). Qui dignitatum in bivio constitutus et ignorans quid eligeret quidve respueret, misit ad Dei hominem, ut precibus assiduis interpellaret Dominum pro se et pro imminenti articulo dignitatum. Orationis cuius tantam in se virtutem expertus est, ut, licet secus disponeret, primae tamen, hoc est nostrae, sedi sic adhaesit animo et amore, quod virum Dei, nollet vellet,

[1] (si q.) sibi *cod.* — [2] *sic.* — [3] *ita Aeg.;* veteri *cod.*

(1) *Cum facto — oratio revocavit* (p. 258, lin. 18): haec exscripsit Aegidius, lib. III, cap. 95,96 (*MG.*, Scr. t. XXV, p. 119, lin. 42 — p. 121, lin. 13). Varias Aegidii lectiones, quae hoc loco non paucae sunt, paucas adnotavimus, ubi nempe operae pretium videbatur. — (2) Nempe anno 1226 post mortem Gulielmi episcopi, quem Heller perperam Guidonem dicit in nota ad h. l. Aegidii. — (3) Cfr. Reineri Annales ad an. 1226 (*MG.*, Scr. t. XVI, p. 680); Albricum Trium Fontium (ibid., t. XXIII, p. 919).

nequibat relinquere, nec a beato martyre divortium sustinere. Unde factum est ut, quotienscumque temporis veniret Leodium, maioris valvas ecclesiae semper sibi post noctis vigilias aperire iusserat, et uno tantum contentus comite, sacri corpus martyris et ipsum Dei famulum cogebatur invisere, effusisque ad Deum precibus, flebat uberrime; siquidem illi, licet nimis saecularibus occupato negotiis, Dominus contulerat gratiam lacrimarum. Tunc conferebant ad invicem de statu caduco praesentium, de huius vanitate saeculi, de beatorum [1] gloria, et de pervigili pastorum regimine mutuo loquebantur. O quam pii zeli loquenti ad pontificem viro Dei inerat plena libertatis auctoritas; nec perfectae subiectionis patiens humilitas deerat audienti, cum nec loquentem premeret auctoritas audientis, nec caritas audientem offenderet arguentis! Nec quasi palpans vitia, virum tantae dignitatis, in quibus opus erat, timebat arguere; sed nec ille volebat resistere tantae sermonibus sanctitatis. Libenter enim eum audiebat, et, audito eo, multa faciebat. Igitur, ut praemissum est, praesul idem a Remensium nuntiis accersitus, nocte illa, qua mane parabat ascendere, expletis pro more vigiliis, intravit ecclesiam, altarique appropians, cui beati Lamberti pignora supererant, non continebat a lacrimis, et ad Dei famulum, qui propter astabat [2], vultum convertens flebilem, complosis manibus, se illius stravit vestigiis, omniumque humilium [3] factus ipse humilior, cum non posset ad plenum verba formare, singultu nimio rumpente sermonem [4], precum illius suffragium intentissime precabatur. Deinde ascendens mane Dionantum [5] adiit, quo partis utriusque nuntii convenerant, pomposis sermonibus pro rapina praesulis ad invicem disceptantes. Et illis quidem
* f. 43v. * avorum progeniem et dulce solum natale patriae memorantibus ex obliquo, nostri simpliciter gloriosum martyrem a cunabulis sui nutricium et triumphum semper de hostibus gentemque pacificam conferebant. Ac cum illic etiam religiosorum convenisset non modica multitudo, inter turbam prospiciens ipse praesul conversum quendam Alnensis coenobii, bonae scilicet famae et vitae laudabilis, fratrem Simonem dictum de Colemiis (1), sciscitabatur attentius, voluntatis

[1] futurorum *Aeg.* — [2] sedebat *Aeg.* — [3] (o. h.) omnique femineo sexu *Aeg.* — [4] nutu tamen quo poterat *add. Aeg.* — [5] Dyonatum *cod.*

(1) Ille Simon Alnensis coenobii conversus *dominicis munitus sacramentis obdormivit in Domino VIII idus decembris circa mediam noctem, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono.* Eius *curae* aliquando *villa* in *comitatu Hannoniae Coulmie dicta erat demandata.* Haec descripsimus ex Vita eiusdem Simonis ab auctore subaequali conscripta, quae ex testimonio Chrysostomi Henriquez, *Menol. Cisterc.*, ad d. 24 febr., not. *e*, edita est a Francisco Mosco. Cum nobis libellus praesto non sit, utimur codice ms. bibl. regiae Bruxell. signato 8966. In

divinae notitiam a viro cupiens extorquere. Sed cum ille frater maioris personas nominis et sanioris consilii sciscitandas proponeret, nihilominus idem praesul sui illius abbatis instantia, qui tunc forte aderat, praecepit fratri Simoni, ut, si sciret, Domini non differat edicere voluntatem. Ad quem frater : *Voluntatem autem Dei si scire et adimplere desideras, illius ecclesiae regimen non contemnas, ad quam tuus praecipue spiritus pronior se inclinat.* Et mox ille : *Cesset ergo,* ait praesul, *utriusque partis tumultuans altricatio. Nam et ego, dignitatis alterius cuiuslibet gloria refutata, sedem meam Leodii et locum dilectum gloriosi martyris corde tacito praeelegi.* Quod verbum nostri nuntii ipsius rapientes ab ore, vocibusque altisonis *Te Deum* decantantes, confusis et spretis Remensibus, suum cum summa laetitia dilectum Hugonem antistitem Leodium reduxerunt.

[IV.] Ipsius (1) ergo praesulis mediante industria, castra duo, scilicet de Muha et de Waleve (2), de quibus in 3ii libri principio aliquid insertum invenies (3), Leodiensi ecclesiae perenni coniuncta sunt foedere ; sed et eorum confirmatio a Domino Honorio, tunc summo pontifice (4), necnon et ab augustis patre et filio et multis aliis, quorum intererat, satrapis et principibus sigillorum munimine insolubiliter roborata. Facta etiam est ad nostrae pacem ecclesiae quaedam villarum commutatio. Nam Sancti Trudonis oppidum, quod Metensi ecclesiae beatus ipse confessor olim contulerat (5), pro quadam villa altera (6) Leodiensi est ecclesiae perpetuo sociatum. Commutationis

hac porro Vita de iis, quae hic referuntur, ista narrata sunt : *Fuit familiarissimus Hugoni de Petra-Ponte Leodiensi episcopo. Hic electus in Rhemensem archiepiscopum venerat Dionantum, patriae Leodiensis oppidulum, ut legatos ecclesiae Rhemensis ibi exciperet. Coepit tandem scrupulo agitari episcopus, an sponsam primam relinquere deberet, an Rhemensem archiepiscopatum acceptare. Quid ageret nesciebat. Vocat igitur Simonem beatum et scrupulum exponit negotiumque commendat. Ad quem Simon : " Res magni momenti est, et est super hac re quaerenda Dei " voluntas. " Venit igitur Simon in cubiculum et, oratione facta per medium horae spatium, redit ad episcopum : " Dei " inquit " voluntas est, reverendissime " pater, ut primam sponsam non deseras, sed ei usque ad mortem fidelis sis. " Dimissis itaque episcopus Rhemensium legatis et * magno cum honore susceptis, Leodium rediit.* — (1) Abhinc textum Vitae plus solito mutavit Aegidius et nonnullis interpolationibus auxit. — (2) *Moha* et *Waleffe*, prope Hoium. — (3) Nempe cap. I (*MG.*, Scr. t. XXV, p. 174). — (4) Bulla data Tibure, die 15 mai 1225 (Schoonbroodt, *Inventaire des chartes du chapitre de Saint-Lambert*, p. 17, num. 49; Potthast, *Regesta*, num. 7408). — (5) Nempe *Maidières*, arr. *Nancy*, dép. *Meurthe*. Huius commutationis, quae an. 1227 facta est, instrumenta sive chartas indicavit Schoonbroodt, ibid., p. 18, num. 53 sqq. Vid. Heller, *MG.*, Scr. t. XXV, p. 120, not. 5. — (6) In Vita S. Trudonis (*Act. SS. Belgii*, t. V, p. 33) haec scripta sunt : " *Confirmavit igitur vir Dei cunctam hereditatem suam in possessionem S. Stephano pontificibusque Mettensis ecclesiae perpetua traditione sub chartarum descriptione subnixa*.

* ita cod. ; supple *Leodiensibus*

cuius cum ab Apostolico confirmatio peteretur, et iam ipsa Metensis ecclesia, quod distraxerat, ad se retrahere magnopere festinaret, nihilominus quod, nostro mediante pontifice, iam paene finaliter fuerat consummatum, non potuit irritari. Illo enim in tempore vir vitae venerabilis[1] et nunc piae recordationis dominus Conrardus, Portuensis ecclesiae cardinalis (1), in extremo[2] constitutus spiritu, qui in sua (* f. 44r.) * infantia nostri pii martyris erat stipendiis educatus (2), adstanti sibi summo pontifici affirmabat factum istud seu concambium utrique ecclesiae fore proficuum (3); conversusque in precibus : *Et a te,* inquit, *pater sancte, hoc unum et ultimum fieri deprecor et exopto, ut partis utriusque cessante calumnia, in instanti, quod factum est, sigilli tui munimine roboretur perpetuo duraturum.* Quo favorabiliter annuente, mox ab ipso necnon et praefatis principibus bullatis chirographis dicta villarum commutatio utrique ecclesiae, sicut condictum et conventum fuerat, perpetuo est firmata. Sunt autem haec omnia ad nostrae pacem diocesis et munimen, postquam ipsum pontificem a Remensi electum ecclesia ad sedem pristinam viri Dei indissolubilis caritas et potens oratio revocavit (4).

[V.] Anno (5) autem vitae ipsius pontificis ultimo (6), sanctam synodum idem H[ugo][3] celebrandam instituit, decretumque in illa male cautus sancire non timuit, quod, etsi in superficie quodam modo congruere videretur, enucleatum diligentius in audientium vergebat interitum et spirabat latentius in multarum periculum animarum. Unde factum est, ut cuidam personae per spiritum Domino[4] revelante claresceret saepe dictum praesulem infra anni circulum debere, immo oportere decedere, si non quod promulgaverat, quantocius irritans revocaret. Quod visum scriptum est in schedula a quodam presbytero, transmissumque ipsi pontifici per manus videlicet doctae

[1] *ita correxi ex Aegidio; cod.* : In illo tempore venit (vendit *ante corr.*) vir et nunc piae record. dominus... — [2] extrema *cod.*; supremo *Aeg.* — [3] H. *cod.* — [4] *add. m. pr. in marg.*

(1) Conrardus e comitibus de Urach oriundus, ex abbate Villariensi, Claraevallensi ac Cisterciensi ab Honorio III renuntiatus Portuensis episcopus, mortuus in transmarinis die 29 septembris anni 1227. Vid. *MG.*, Scr. t. XXV, p. 198-9, ac not. 1, p. 198. — (2) Ita auctor Vitae Simonis Alnensis : *Conradus Senensis* (immo *de Urach*) *comitis filius ecclesiae Leodiensis canonicus, mundo valefaciens, in monasterio Villariensi Ordinem Cisterciensem amplexus est.* Cfr. etiam I. de Theux, *Le Chapitre de Saint-Lambert*, t. I, p. 203-4. — (3) Conrardus Leodium venerat mense februario anni 1226, dum pro pontifice romano legatione fungebatur. Vid. Albricum Trium Fontium ad h. a. (*MG.* Scr., t. XXIII, p. 917). — (4) Hactenus Aegidius. — (5) *Anno - sanitatis* (p. 259, lin. 31) : haec iterum exscripsit Aegidius, lib. III, cap. 97, 98 (t. c., p. 121, lin. 26 - p. 122, lin. 7), qui rursus non pauca verba mutavit. — (6) 1229.

admodum vetulae mulieris. Itaque anus illa egredienti de basilica die quadam palatio contigua caute satis obvians scriptumque illud offerens, clam recessit. Propter commeantes autem legendi schedulam praesul non habens copiam, inde praeteriit. Sed ingressus thalamum sedens et relegens quod nimis diu clausum tenuerat, furore rapitur incredibili, et tamquam qui mori refugeret, cogitur inclamare : *Currite*, ait, *currite; maledicta revocetur anus* [1]. Quae minime reperta est; nam satis docta fuerat, ut in hac legatione moram facere devitaret. Ipse vero pontifex, ne hoc cuiquam innotesceret, furiosis manu et dentibus schedulam laniavit. Hoc autem viro Dei non latuit; nam et qui [2] visum viderat, et qui scriptum scripserat [1], supradicta haec omnia Dei famulo rettulerunt. Igitur orbita solaris cursum suum non compleverat,* et ecce, ut praefatae schedulae scriptura flebilis impleretur, praesul ipse moriturus devenit Hoyum, decumbensque lectulo molestiae non sanandus cogitur subiacere. Cuius praeventus valetudine cum iam vivere desperaret, adveniens sacerdos saepe dictae scriptor schedulae ante illum adstitit, tenorem ipsius commemorans ex obliquo. Et aeger : *Heu! heu!* inquit [1], *quam sero super hoc commisso paenitui.* Tunc sacerdos : *Quod credere,* ait, *tunc, mi domine, noluisti, nunc te patientem videre miserrimum est.* Et de his hactenus. * f. 44v.

Illo vero in tempore quaedam fuit in urbe aetatis provectae bona mulier, de qua in fine opusculi aliquid proposui memorandum. Haec eadem viro Dei hoc indidit negotium, ut scilicet infirmanti praesuli quoquo modo suggereret debere ipsum Leodium in instanti descendere, si potiri vellet gratia sanitatis; alioquin nullatenus posset evadere mortis articulum imminentem. Vir autem Domini Hoyum veritus ascendere, hoc ipsum uni ex illius intimavit domesticis, diligenter admonens, qualiter ipse praesul salutis obtineret remedium, si venire Leodium non tardaret. Ille autem talibus non intendens, verba viri Dei existimans somnia, quia indicto sibi supersedit negotio, pro dolor, infirmo praesuli protelata est nimium desiderabilis [1] largitio sanitatis. His ita se habentibus, praedicta bona mulier plerumque Dei virum accersiens, ad ipsius procidebat genua, futurumque urbis, nisi Deus averteret, lamentabatur excidium, dicens se ab urbe velle discedere, quam mox, defuncto pontifice, praeviderat in spiritu penitus subruendam. Cuius finem dare volens lacrimis vir beatus : *Ne timeas,* ait, *filia mi; consolabitur enim nos Dominus; quin immo, si iam pridem nostrae fuisti comes pacis et gaudii, nostrarum paululum laborem non refugias passionum.* Audierat nihilominus et ipse multorum turbam daemonum per suae gyrum cellulae vel desuper discurrentium et pro periculo gaudentium imminenti. Viderat etiam in

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *sic.*

spiritu casum praesentis ciborii, quo beati Lamberti pignora continentur, ex hoc in hoc crebrius titubantis, et ab ipso pignorum eorundem praesentiam absentari. Viderat et multa alia doloris futuri (1) praesagia, quae non sunt scripta in libro hoc, ne daret copia congesta fastidium; sed quia suae gentis mala videre non poterat, omnia huiusmodi a puro suae mentis intuitu velut volitantes aviculas * abigebat. Nos etiam talibus locum dantes, ad nostri sermonem propositi calamum reducamus. Aderat (2), instabat antistiti saevientis mortis importuna congressio, et, ut vera praedictorum probaretur sententia, non delatus Leodium in castro Hoyensis oppidi extremum inter manus adstantium spiritum exhalavit. Qui paulo post (3) per visum praefatae mulieri apparuit, sibi gratum asserens quod migrasset. Nam licet in locis acrius torqueretur poenalibus, mortis tamen sententiam evaserat sempiternae. Huic insuper vir Domini supra modum compatiens sic suum orationis vinculo coadunavit spiritum, ut, cum pro eo assiduis Deum interpellaret precibus, mira dicam, quicquid defuncti patiebatur spiritus, ipse totaliter adhuc[1] degens in corpore afflictione spiritus pateretur. Processu quoque temporis cum (4) Cisterciensium aliorumque, qui hactenus ferventes exstiterant, pro defuncto praesule iam teperet oratio, totum soli viro Dei relinquitur negotium; cuius succumbens oneri sustinere non potuit, et in sublevandis pro eo ad Deum manibus vires illi corporis et spiritus defecere. Tanto autem pontifex destitutus auxilio, nocte quadam vigiliae (5) Pentecostes prope cellam adstitit, virumque Dei quiescentem in lectulo, vocem promens lamentabilem, querulus excitavit. In cuius rei testimonium cum ille puerum ibidem prope se in cellula soporatum vocaret, ille somni gravis depressus inertia vocem huiusmodi vix audivit. Expleto vero a dormitione praesulis iam paene quinquennio, vir beatus vidit nocte quadam quasi decumbentem suo illo grato in lectulo praefatum pontificem et se illi velut ministrum assistere; cui demum inter verba flebilia loquebatur : *Omnes*, ait, *bone fili, derelicto paupere, recesserunt a me; tibi soli datus sum, tu solus adiuva me.* Et ille : *Iuvabo*, ait, *utique, dummodo ad Dominum deprecandi mihi virtus suppetat et facultas.* Ab illo ergo die tantum in orandi virtute convaluit, ut, quotiens pro praesule deprecari inten-

* f. 45v.

Job 6, 13.

[1] ad haec *cod.*

(1) Vid. infra, cap. VI. — (2) *Aderat - exhalavit* (lin. 11) : Aegidius, t. c., p. 122, lin. 7-12, ubi scilicet ille nonnulla ex Reineri Annalibus addidit. — (3) *Paulo post - sempiternae* (lin. 14) : Idem ibid., lin. 37-39. — (4) *Cum - oratio* (lin. 20) : Idem ibid., lin. 39, 40. — (5) *Vigiliae - transegisse* (p. 261, lin. 15) : Idem ibid., p. 122, lin. 41 - p. 123, lin. 8.

deret, non quasi agonizans orabat prolixius, sed totus plenus lacrimis se gaudebat mirabili spiritus dulcedine debriari. Quapropter elapso post modico temporis intervallo, coram Dei viro rapto in spiritu adstitit, ipso praesule comitante, dealbatorum pontificum turba non modica; quorum unus, qui dux * erat et venerabilior inter eos, dulci sermone sic alloquitur speculantem: *An ignoras*[1], *vir beatissime, quisnam iste sit, qui nos praecedentes etiam infulatus subsequitur?* In duas autem partes seu choros turbae illius processio se divisit. Viro autem Dei respondente, illum suum dilectum Hugonem esse dominum, patrem et episcopum, mox suis ipsum prostratum vestigiis, extensa manu, praecepto colloquentis iubetur absolvere, benedictumque crucis signo, qui ad laevam partem hucusque consederat, in partem mox dexteram benedictionis gratia transportavit. Ab illo ergo tempore per spiritum viro Dei innotuit poenam purgatorii fortiorem dictum antistitem transegisse. Interea ipsius Leodium delato corpore, cum (1) de loco sarcophagi inter primos ecclesiae quaestio[2] moveretur secus aram beati Materni, quam in ipsa ecclesia praesul ipse olim sacraverat, tandem de communi consensu praecipitur sepeliri. Quo audito, vir Dei obstupuit, et ultra quam credi potest admirans, dicebat intra se : *Num alias sepeliri poterit, quam quo mihi a Domino per eundem ostensum est?* Haec illo cogitante, mutatum est subito magnatum consilium; locoque priore recondito, alter illo multum dignior[3], quem vir beatus praeviderat, accelerante sarculo aperitur. In quo digne satis illius corpore sepulto[4], cum inter ipsius successorem electum antistitem et ipsius capitulum controversia difficilis moveretur, tunc temporis adiit virum Dei quaedam magnae et utinam bonae opinionis sanctimonialis femina, asserens inter discordes partes pacem non posse restitui, nisi defuncti corpus ab eo, quo sepultus fuerat, ob honorem martyris tolleretur. Subrisit ille, huiusmodi audita phantasia; sed ne loquentem offenderet, cachinnos animi virtute refrenans conticuit, sciens pacem citius affuturam, praesulis corpore, ubi humatum est, sicut praeviderat, permanente.

Luc. 22, 43.

* f. 45v.

[VI.] His ita completis, tot et tanta per orbem (2) universum insonuerunt praelia, ut non solum ad invicem bellorum civilium insaniret vesania, verum qui romanum regebat imperium[5] in sanctam non

[1] ignorans *cod.* — [2] quomodo *cod. (?); correxi ex Aegidio.* — [3] ante altare sanctorum Cosme et Damiani, ubi beatus Lambertus martyrio coronatus est *add. Aeg.* — [4] sepulcro *cod.* — [5] Fredericus *add. Aeg.*

(1) *Cum de loco - aperitur* (lin. 23) : Idem ibid., p. 122, lin. 17-23. — (2) *Tanta per orbem - sanguinem gloriosum* (p. 264, lin. 26) : Idem ibid., p. 123, lin. 22 - p. 124, lin. 52.

timuit desaevire ecclesiam. Cuius certe stultitiam summus ipse pontifex[1], plurimorum praesulum vallatus et confidens praesidio, non prece, sed praelio compescere satagebat. Considerans etenim quod in * f. 46v. maris medio quassaretur agitata Petri navicula (1), in omnem * terrae semitam ad quoscumque sui iuris esse cognosceret, suos misit nuntios, sub fidei veritate omnes sibi confoederans, ut opportuno tempore praevaleret indomitam regiae dignitatis retundere disciplinam. Quorum unus nuntiorum, peragratis inferioribus[2] Allemaniae partibus, Otto scilicet Dei miseratione Sancti Nicholai in carcere Tulliano diaconus cardinalis[3], ascendit Leodium[4], ut nostrum antistitem romanae Ecclesiae foedere consimili copularet (2). Qui cum inter cetera in clero etiam Leodiensis diocesis patrimonii Iesu Christi fieri perciperet laesionem, recisis volebat stipendiis studio parsimoniae[5] pauperes aequare divitibus, et opulentos consentire humilibus[6], servata iuris in omnibus aequitate. Illius autem clerici non passi decorticari cauterio, Aquensem praesidem, qui vices regis defenderet, super illa confoederatione, quam diximus, per nuntium mandaverunt. Legatus vero praesidis adventum praesentiens cum nostro antistite urbem parabat egredi; fugientemque taliter civitatis accolae simpliciter, non malivole Apoc. 12, 9. praesidem comitantes, visi sunt effugasse. Nactus igitur draco ille antiquus, qui est et Satanas, horam sibi gratuitam et voto suo

[1] Gregorius nonus *add. Aeg.* — [2] superioribus *Aeg.* — [3] postmodum episcopus Portuensis *add. postea Aeg. in marg.* — [4] dominica in sexagesima in qua canitur tractus " Commovisti, Domine, terram et conturbasti eam " quae fuit 7 kal. februarii anno Domini 1230 *add. postea Aeg. in marg.; et cfr. notam Helleri ad h. l.* — [5] per symonie *cod.; correxi ex Aeg.* — [6] *add. m. pr. in marg.*

(1) Cfr. Gregorii encyclicam celeberrimam, Potthast, *Regesta*, num. 8044: Heller ad h. l. Aegidii. — (2) Cfr. quae de hac legatione Ottonis profert Albricus Trium Fontium ad an. 1230: *Otto diaconus cardinalis S. Nicolai missus est a domino papa ad submittendum et conciliandum animos archiepiscoporum et episcoporum et baronum terrae domno papae in depositionem regis Alemanniae Henrici, filii imperatoris Friderici, a domno papa excommunicati, et ad electionem alterius, qui repertus fuisset idoneus. Sed inter dictum et factum multa frequenter impedimenta occurrerunt. Qui legatus in vigilia Valentini* (13 febr.) *veniens Hoyum honorifice a Iohanne episcopo recipitur in castro Hoyensi (MG.,* Scr. t. XXIII, p. 926); in Annalibus autem Coloniensibus *(MG.,* Scr. t. XVII, p. 841) haec legimus ad an. 1228: *Legatione accepta, in Theutoniam et Daciam mittitur (Otto); cuius intentio erat imperatoris gravamen procurare et super hoc consilium expetere Ottonis dicti ducis de Lunimburg. Sed idem Otto contra imperatorem renuit aliquid attentare. Qui legatus Leodium civitatem Hasbaniae veniens, ab advocato Aquensi et Arnoldo de Gremmenich et aliis fautoribus imperatoris fugatur et vix evadens in castro Hoyo recipitur; pro qua iniuria sibi illata excommunicationis sententiam in Leodiensem civitatem promulgat, exire praecipiens totum clerum.* Cfr. etiam litteras, de quibus Boehmer-Ficker *Regesta imperii,* V, num. 4159, 4169, 4182, 4185.

tempus conveniens advenisse considerans, ut praedictarum esset vera promissio visionum, volebat, ablato de medio praedicti auctoritate nuntii sacrosancto missae mysterio, per quod solum contra diaboli tyrannidem nostra crebro triumphavit ecclesia, sanctam sedem martyris in favillam redigere; immisitque in cor illius nuntii, qui nullo persequente fugitivus recesserat, ut, cunctis exclusis a Legia sacramentis fidei, solis tantum puerulis per aquam baptismatis facultas in Domino suppeteret renascendi, prostrata nihilominus per omnes ecclesias in pavimenti pulvere imagine crucifixi. At postquam ad thronum regium, falso quidem, huiusrei pervenit notitia, nostros cives scilicet virum regi contrarium cum honore indebito suscepisse, mox a sui sinu consilii probatum exponens tirunculum : *Vade,* ait, *vade; non parcat oculus tuus quin a sanctuario incipiens illos perdas apostatas,* (Ezech. 9, 5. 6) *qui me nolunt regnare supra se; sed et urbem cum bonis omnibus* (Luc. 19, 27.) *vastatore gladio publicabis.* Ipsi ergo venienti Leodium occurrit dux Ardenniae (1), sciscitansque super hoc, inane respondit et frivolum quicquid de his in regis curia vulgatum fuerat, sed cives in contrarium in laudem [1] regis et gloriam legatum ipsum cum suo pontifice a * suis (* f. 46v.) finibus expulisse. Quod factum, licet falsum, ille satis approbans, furibundus adiit pontificem eique, quem [2] vulgatae putabat in urbem auctorem sententiae [3], sub regis imperio regalia interdixit. Factumque est ut, quod ipsis civibus provenire debuit in dedecus et gravamen, mira [4] Dei clementia mutatum est in gloriam ampliorem. Fuit ergo in subruenda Legia insultationis diabolicae sub facto huiusmodi haec prima congressio. Regali interea repatriante nuntio [5], onerato [6] satis in ipsorum civium reportandis regi muneribus, totius auctor sceleris cum sancta sede martyris bellum parabat repetere, bellum quidem opprobrii amplioris. Cuius instinctu pontifex, missis concito [7] litteris, omnem clerum monuit ab urbe recedere, suasque illi domos et castra publicans, rogabat non diffidere: illis enim, aiebat, abundanter ad vescendum tribueret, qui quondam gregem Israel (II Esdr. 9, 21.) paverat in deserto. Qui [8] si facta foret cleri discessio [9], mox in suas domos irruente insania laicali, antistes ipse cum armata manu deforis adveniens, totam disponebat cum universo populo subruere civitatem. Illius enim, hoc est papalis nuntii, erigebatur potentia [10], qui cum suis crebro conferebat domesticis de sede immobili nostrae diocesis ad

[1] laudanti *cod.* — [2] quam *ante corr.* — [3] sententia *cod.* — [4] misericordia *cod. (?)* — [5] tyrunculo *Aeg.* — [6] honorato *cod.; correxi ex Aeg.* — [7] cum cito *cod.;* mox *Aeg.* — [8] *Sic cod., nempe pro* quae *(cfr. p. 268, lin. 20; p. 284, lin. 4);* quod *Aeg.* — [9] (c. d.) dissentio *Aeg.* — [10] Illius enim auctoritate utebatur et potentia, qui... *Aegidius; iamvero Heller ad h. l. putat* " *illum* „ *fuisse Henricum I comitem Brabantiae.*

(1) Henricus IV, ut ab I. Heller annotatum est ad h. l. Aeg.

locum alterum transferenda. Haec autem fuit congressionis diabolicae adversus sedem martyris insultatio. Maioris autem decanus ecclesiae[1] (1), tam crudelis monitionis praevisa sententia, antequam legens chartam inspiceret, unus loquens pro omnibus contra tenorem litterae sedem apostolicam intrepidus appellavit. Perlecta quoque chartula, qui adstabant clerici loquebantur ad invicem et dicebant: Ps. 77, 24. *Palatia nobis et castra sufficiunt; sed si rursum pluere manna velit Dominus, ignoramus.* Fraudatus igitur spe concepta, hostis ille callidus, qui mille per meandros corda bonorum agitat, tertio impetiit civitatem; impetiit autem sic. Erat in urbe vir praepotens, ad cuius consilium totius rei publicae spectabat negotium; cuius frater uterinus in partes secedens Hasbaniae cuneos incidit in hostiles; quorum armatae succumbens manui, vulneratus[2] occubuit[3]. Huius ille vir potens occasum audiens cum suis complicibus, reperto illorum quodam consanguineo, licet tanti ignaro facinoris, mox in eius exarsit interitum, *f. 47r. sanguinem sanguine vindicando. His * fieri incipientibus, beato viro in sua cellula quiescenti repente[4] desuper tumultus daemonum tantus infremuit ut, omni sibi sublata requie, illis quidem exsultantibus, ipse ad orandum confugiens, gemebundus in lacrimis pernoctaret. Praedictis siquidem patratis flagitiis, bellum tam enorme tantoque crudelius, quanto vicinius, hinc inde exortum est, ut propter in circuitu latentes insidias nullus abintus vel deforis auderet egredi vel ingredi civitatem. Fuit quoque haec triplicis nequitiae in urbis interitum destructio non impleta; frustra tamen[5], quia lapsa non est, quae singulari praerogativa gratiae olim fundata fuerat super nostri martyris sanguinem gloriosum (2). Nos autem in praedictis omnibus viri Dei meritum prosequentes, doloris huius principium repetendum duximus in hunc modum.

[VII.] Cum in urbe Legia, crudeli illa promulgata sententia, celebrare sacerdotum nemo praesumeret, vir Domini innumeris replebatur doloribus, et cum illi vel mortem filii Dei celebrando recolere aut necesse erat mori, soli Deo cognitum est, quibus interim super his angustiis iugiter angeretur. Et licet ad ipsum nulla mittentis lata esset sententia, quamquam huius tenorem interdicti nec viderat vel audierat, quamvis etiam ab eo, qui posset seu qui non posset, nusquam ei a divinis cessare mandatum sit, Deum verumtamen super eo precibus assiduis flagitabat licentiam[6]; quam tandem lacrimabiliter exoranti Dominus sic voluit declarare. Cum

[1] Iohannes *add. Aeg.* — [2] eodem die *add. Aeg. in marg.* — [3] anno Domini 1231, 13 kal. iunii die dominico, quando celebrabatur octava Pentechostes *add. Aeg. in marg.* — [4] repetente *cod.* — [5] *add. m. pr. in marg.*

(1) Iohannes II de Rumigny. Cfr. *Gallia christ.*, t. III, col. 927. — (2) Huc usque Aegidius l. c.

prae cordis angustia soporatus factus esset in exstasi, se sacro vidit altari assistere celebrantem; et ut totius Trinitatis consensum sibi praestitum super hoc non timeret, lecto quasi evangelio, illud, per quod Patris declaratur potentia, fidei nostrae symbolum decantabat; dehinc pro persona Filii illud triplex gloriosae crucis canticum labiis ruminabat mellifluis, ita dicens :

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,

per quam salus mundo reddita est. Dulce lignum, dulces clavos, et cetera quae sequuntur; tandemque pro persona Paracliti, ipse idem per os sui servuli tamquam praecipiens loquebatur : *Pange lingua gloriosi praelium certaminis, et super crucis trophaeum*[1] *dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit*. Huius itaque revelationis * accepta fiducia, suam illam visu pulchram et * f. 47v.
aspectu delectabilem ingressus basilicam, celebrabat cottidie; et licet adhuc in urbe teneret sententia, medius tamen inter Deum et homines, pro salute populi Patri assidue Filium immolabat. Mira res, per annum continuum intrans et exiens ad imperium summi regis celebrare non destitit, universo usque adhuc populo ignorante praeter eum, qui huius erat tanti minister officii, et eos, quibus ipse post intervalla temporum sermone vel littera revelare dignatus est. Cumque etiam, an a divinis cessare debuerat, praefatam illam bonam requireret feminam, quaerens ab homine quod divina bonitas tot praemissis firmaverat, illa simpliciter sic respondit : *Potens est ipse, cum voluerit, suam vobis Dominus edicere voluntatem*. Cuius quaestionis audacia quasi iratus Dominus, paululum ab eo suam avertit faciem, eoque suum auferente spiritum, totus erat iste deficiens et in Ps. 103, 29.
pulverem prope modum reversurus. Sed elapso iam triduo, misertus eius Dominus Gen. 3, 19.
in primum gradum gratiae lacrimantem restituit, visumque est illi quod sacro cele- Gen. 40, 13.
braturus altari assisteret missae, cuius hic erat introitus: *Nos autem gloriari oportet in cruce*, etc.; ac si a Domino aperte diceretur eidem : *Quid super his hominum quaeris testimonium*[2], *cum te iam pridem de praemissis firmaverim?* Nam etsi gloriari oporteat, non in humanis laudibus, sed in illo potius, qui cun- II Cor. 11, 30.
ctorum salus est et gloria redemptorum. Cum autem, ut longe iam praedictum est, regalis nuntius depopulaturus intraret Leodium, nocte viderat praecedenti vir Domini iuxta portam templi, quae aquilonem respicit, — ex illa enim parte praedictum imminebat excidium, — collectam insimul totam civitatis ecclesiam, voce lacrimabili hunc introitum decantantem : *Etenim sederunt principes et adversum* Ps. 118, 23 et 86.
me loquebantur, et inique persecuti sunt me. Adiuva me Domine, Deus meus, quia servus tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Et vere sic : omnes enim declina- Ps. 13, 3.
verunt, simul inutiles facti sunt; non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum. Ipse quidem solus remanserat, qui oraret pro populo et pro civitate sancta II Mach. 15, 14.
nostra, solus pugnans pro omnibus, murus inexpugnabilis pro domo Israel. Facto autem mane et aperiente eo librum, visioni huic psalmista virtute magna reddebat testimonium sub hoc versu : *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in* Ps. 106, 33.

[1] *sic*. — [2] et *add. cod.*

[* f. 48r.] [Thren. 1, 1; 1, 20.] [Ruth 1, 20.] *sitim*. Pro * dolor, sedebat sola civitas plena populo, forisque hostili occidente gladio, domi mors erat similis, et quae prius Noemi propter bonorum omnium et sacramentorum copiam, nunc in eorum penuria recte Mara, id est amara, poterat nuncupari. Interim urbem ipsam horror tantus invaserat, ut die sancto Paschae. quo suos communicaturus discipulos ipsam vir beatus egressus est, gloriosi martyris ciborium, quod per triduum et eo amplius aperiri debuit, vix illo die deducto [Luc. 21, 26.] ad vesperum, arescentibus prae timore custodibus, quantocius clauderetur. Siquidem die illo egressus est vir beatus, et tunc in ea cessatum est a divinis.

[Luc. 22, 53.] [Exod. 17, 8 sqq.] [VIII.] Mirandis miranda succedunt. Quamvis enim haec esset tenebrarum potestas permaxima, tamen sicut, orante Moyse, vincebatur Amalech, ita Dei viro intra suam basilicam armis fidei circumdato protensisque manibus sacro in canone con stituto, mox ut illam salutarem elevasset hostiam, immensa tranquillitas reddebatur in populum, quae actum a daemoniis horrorem praehabitum penitus exturbabat. Quemadmodum enim sordes congelari videntur in glacie, ita huius auctores sceleris, hoc est ipsi daemones, viri Dei precibus catena horribili mirabiliter[1] stringebantur.

[IX.] Placatus tandem Dominus, anni ipsius tempore evoluto super militia[2], quam populo suo inferre paraverat, maerentemque suum amplius non volens contristari filium, nocte quadam raptum ipsius spiritum duxit non in viam sed in [Iob 10, 21.] invium, quod habens mortis imaginem eius erat coopertum caligine; a quo statim erutum vir quidam assistens desuper in habitu monachali, sanctae scilicet memoriae dominus Galterus de Bierebais (1), locum duxit ad alterum, locum inquam totum floridum, cuius pulchritudinem lingua nescit depromere; in quo choris vir beatus admixtus hymnidicis, ex eorum concordi modulamine hoc tam suave canticum audiebat: *In sanctorum confessione exsultantes, mundi factorem laudemus Deum et pura cum devotione adoremus.* Et post paululum apparuit ei martyr ipse domesticus, ad laudem Beatae Virginis *Salve regina* intonans, servo Dei......[3] ad finem [* f. 48v.] usque perducerent, suo * pro modulo prosequente. Demum etiam ipse martyr antiphonam, quae *Magna vox* dicitur (2), incipiens, eo quod de se sibi gloriari refugeret, percantare noluit, sed inceptam solummodo soli Dei famulo dereliquit. Qua dicta, intellexit vir sapiens per primam antiphonam sanctorum Dei meritis, sed maxime per secundam gloriosae Virginis, et tandem per tertiam venerandi martyris suffragantibus meritis, quod cessasset quassatio, et manus ipsa Domini elevatum hactenus furoris sui gladium reponeret in vaginam. Unde factum est (3) ut illis, qui, sicut praediximus, totius christiani obtinent regiminis principatum, ad pacem redeuntibus,[4] Augustus ipse summo pontifici nequa-

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *sic; forsan corrigendum :* malitia. — [3] *Vacat spatium unius alteriusve verbi in cod.* — [4] Fredericus *add. Aeg.*

(1) Nempe Walterus de Birbaco *(Bierbeek)*, de quo vid. *Act. SS.*, Ian. t. II, p. 447-50. — (2) Vid. supra, p. 241, not. 1. — (3) *Factum est - civitati* (p. 267, lin. 9) : Haec exscripsit Aegidius, t. c., p. 124, lin. 52 - p. 125, lin. 8.

quam aliter reconciliari voluit, nisi primitus illam tam crudelem supradictam relaxaret sententiam et nostrae[1] pacem pristinam redderet civitati. Missis igitur ex arrupto litteris, nullo quidem homine, sed solius Dei procurante clementia, venit ad nos nuntius ex mandato summi pontificis, omni dilatione seposita absolvi nostram praecipiens civitatem. Hoc audiens ille legatus, qui in nostrae hactenus diocesis morabatur confinio, ad suum dedecus palliandum, duobus mox Leodium missis abbatibus[2], praefatam revocavit sententiam et, absoluto populo, pacem, quam tulerat, reddidit civitati. Vir itaque Domini super his omnibus, quas videbat, virtutibus Dominum magnificans, raptus est in spiritu, turbaque praelucida caelestis militiae se vidit circumdatum, et desuper et per totum pontificalis gloriae vestibus decoratum. Qui vero convenerant, hunc sermonem suavi modulamine spiritus decantabant: *Tu es pontifex in aeternum ;* Ps. 109, 4. ac si dicerent : Licet sedem tuae diocesis alias transferre multi conati sunt, in conspectu Domini decretum et sanctum asserimus, quod, totius impugnationis cessante malitia, Leodiensis civitas tuis protecta precibus permanebit civitas in aeternum.

[X.] Tantae ergo virtutis pontificem libeat imitari, humilitatisque tantae virum non pigeat venerari, per quem tot et tam mira gratulamur evasisse pericula, et non pauca nobis a Deo per illum coruscant * miracula; quae nunc[3], praeter- * f. 49r. euntes historiam, decrevimus interponi, ut habeat[4] unde possit lectoris fastidium relevari. Eandem itaque vir beatus obtinebat gratiam apud Deum, quam et mater eius, de qua plura iam diximus; nam quod matri lucide datum est intueri, praestitum est et filio etiam et sentire; et quod iste interius sentiebat in gratia, hoc beata mulier, irreverberatis oculis intenta caelestibus, clarius cognoscebat unctione magistra. Nam cum die quadam filius matris gratiam congratulans approbaret, *Eia,* mater ait, *sic, fili, per spiritum video, quae tu sentis, quasi caeli praeparatas mihi videam delicias, quas potiore gratia praegustas.* Unde factum est, ut in crastino Penthecostes mater divinis, quae iste agebat, interesset officiis, et post missam ipsum alloquens[5] : *Vidi,* ait, *hodie te Christi incorporatum corpori, et novo in homine innovatum; Christi quidem humanitas te tota vestierat, et caro tua caro nati mox pueruli videbatur.* Ipsa quippe die repletum se Dei famulus ineffabili IV Reg. 5, 14. dulcedine recognovit. Itidem in crastinum ipso celebrante, mater adfuit, et post missae officium sic eum allocuta est : *Cum sacram in canone hostiam elevasses, flammam vidi rubeam in os tuum descendere cum nimia claritate.* Recognovit ille tantam hora ipsa sensisse dulcedinem, quae omnem exsuperat facundiam tam litterae quam sermonis. Simile quid omnino in die contigit subsequenti. Quid multis immoror? quotiens pro amicis specialius ille Dominum exoraret, mater praesens, non corpore, sed spiritu, loquebatur : *Hodie vidi eos, quos diligis, ante conspectum Domini a te complexos, carissime, et Christi unitos corpori una tecum*

[1] Leodiensi *Aeg.* — [2] de ordine Cisterciensi *add. Aeg.* — [3] libet (lib') *hic loci interponit cod.* — [4] *forsan hic reponendum est* lib'. *h. e.* liber. — [5] alloquentem *cod.*

ipsius gratia coopertos. Audiens vir Domini verba matris, sentiebat maiorem tunc temporis pro amicis solito gratiam in precibus accepisse. Quandoque etiam et personas, pro quibus ille oraverat, mater vocabat ex nomine; quae omnia vera esse vir Dei percipiens, magnificabat Dominum, qui talia[1] matri suae dignabatur per spiritum demonstrare. Quidam quoque infantulus viro Dei carissimus, cum gravi laboraret corporis molestia, ipsum obnixius precabatur, ut pro se apud Dominum (* f. 49v.) intercedere dignaretur. Qui pro eo * sollicitus ad orandum, matri quoque indixit negotium, et in ipsa nocte raptus vidit per spiritum eundem puerum in albis vestibus ad ecclesiam properantem. Cui mater statim summo mane : *Carissimus*, ait, *tuus, quando sacro inunctus fuit oleo, sanus effectus est. Erat quippe valde siccus*. Puerum autem vir Dei alloquens, et suae meliorationis interrogans horam, intellexit illam esse, quam mater ante dixerat, audito insuper illius gravis incommodo siccitatis. Sanatus autem puer cum virum Dei ducere vellet per urbis circuitum ad sanctarum animarum in ea degentium petenda suffragia, existimans illarum meritis sanitatis se gratiam percepisse, vir Domini super illa profectione matrem alloquens querebatur ob debilitatem corporis non posse pueri satisfacere voluntati. Quae modicum intra se deliberans, sic respondit : *Ne sollicitaris super hoc, fili; animus enim pueri iam mutatus est, nusquam cupiens proficisci. Sed et de me sic loquitur : " Ut quid tam bonam volo mulierem relinquere, ut alias investigem? Sufficit mihi eius oratio "*. Qui[2] omnia, sicut ipsa praedixerat, vera esse a puero Dei famulus recognovit. At cum ipse puer in suam esset patriam profecturus, et vir Domini super hoc tristaretur, beata mulier dixit ei : *Licet ipse puer a te sit recessurus, verumtamen priusquam ei valefacias, cum eum fueris amplexatus, prae dolore mentis exclamare graviter compelletur*. Quod et ipsum verissime rei exitus approbavit.

Alter Dei servo notus erat parvulus, qui propter suam, quam habebat, innocentiam eidem carissimus habebatur. Quem cum subita comprehendisset infirmitas, in morbum lapsum lethargiae vir pius sacrosancto Christi munivit mysterio, nullum efficacius medicamentum reperiens ad salutem. Beata vero mulier morbo pueri videns illum plurimum condolere, sic eum allocuta est : *Quare sic tristaris, carissime? Sentio quidem sic tuum commotum * spiritum, quod vix potes a lacrimis tuos oculos continere*. (* f. 50r.) Ipse vero celare suam omnino volebat maestitiam, ut tanto citius divinam super salute pueri posset experiri clementiam, quanto magis fugiebat humanitus consolari. Cui mater : *Sero*, ait, *cum tu communicares puerum, licet praesens corpore non fuerim, vidi tamen per spiritum Christi illum[3] incorporatum corpori et novo in homine innovatum, et sic demum perfectae restitui sanitati*. Ipso die vir Dei venit ad puerum, ita iam valentem reperiens, ut librum, quem secum forte detulerat, de manu patris colludendi gratia puer raperet iam sanatus. Qui priusquam sacrosanctam de manu ipsius sumpsisset hostiam, in ipso sic morbo defecerat, ut vix ullum aliquando daret responsum vocantibus, semper magis

[1] tali *cod.* — [2] *forsan corrigendum* Quae. — [3] illum-puerum (lin. 37) *add. m. pr. in marg. superiore.*

cupiens, moris ut est talium, obdormire. Horam vero, in qua melius habuerat, homo Dei illam esse veraciter a puero recognovit, quam beata mulier ante dixit.

Iuvenis quidam Iohannes nomine, famulo Dei coaetaneus, extrema laborabat corporis molestia, ita quod vitae properaret ad exitum iam positus in extremis. Hic itaque visitantem se virum Dei attentius precabatur, quatenus ad Deum pro se preces[1] devotus effunderet, ut de tanta talique molestia Deus eum citius, quomodo vellet, eripere dignaretur. Quo orante, dictus aeger bonae indolis adulescens, qui pie et sancte Deo vivens servierat, sanctius in Domino obdormivit. Propter eas autem, quas aliquando contraxerat, delictorum maculas, quibus usque quam viventes carere non possumus, non damnandus sed purgandus locis poenarum addicitur, et ad viri Dei matrem in spiritu redire permittitur, proferens hunc sermonem : *Si tuus*, ait, *filius pro me et defunctis fidelibus vicies et bis in honorem sancti Spiritus celebrare voluerit, decem annorum spatio, quibus habeo cruciari, liberare me poterit a tormentis.* His dictis, disparuit. Pro cuius liberatione mulier sollicita, quae a spiritu illo audierat, viro Dei rettulit universa; impletoque viginti duorum dierum * numero, nocte ipsa scilicet diem ultimam praecedente, ille in spiritu beatae mulieri, diem esse ultimam ignoranti, iterato apparuit, gratias referens in haec verba : *Nullam pro me vicem bonis possem rependere, quae meus carissimus, tuus, inquam, filius, continuatis precibus mihi apud Dominum meruit obtinere. Et quid dignum retribuam ei? Die enim crastina introire debeo in requiem sempiternam. Sed scio quid faciam; nam cum ibi fuero, pro te et pro eo iugiter intercedam.* Nec plura his. Qui ut dixit, ab oculis in momento evanuit intuentis. Facto autem mane, mater haec rettulit filio venienti ad se. Die vero ipsa cum celebraret idem constitutus in canone, non est meum dicere, cum mens et lingua deficiat, quanta dulcedine sit refertus. Nec immerito. Hora enim aderat, qua praefatus spiritus, quem sibi homo Dei fideliter in precibus coniunxerat, ab eodem fecit divortium, laetabundus et laudans in requiem ingrediens sempiternam.

* f. 50v.

Quaedam quoque iuvencula, ipsius secundum carnem consanguinea, nomine Margareta, cum iam ultimum vitae traheret spiritum, venienti ad se viro, quomodo potuit, peccata sua pure et humiliter est confessa. Quo recedente, quamdiu illa supervixit, dicebat se beatum Lambertum martyrem iugiter intueri. Carne tandem solvitur et ad beatam viduam reverti permittitur, ita dicens : *Gratias ago carissimo meo patri, tuo, inquam, filio; ipso enim medio, cui pure confessa sum, ab omni me Dominus purificavit crimine, absolvens et dans veniam de commissis. Viventi quoque mihi ultra modum placebat[2] castitas, et gaudeo quod migravi. Nam ipsius patris tam boni precibus consequar in proximo gratiam perpetuo[3] Salvatoris. Dicite ergo ei, ut spiritum a precibus non relaxet.* His dictis, non comparuit; sed in brevi revertitur et eam sic alloquitur : *Mihi congratulamini; nam post diem decimam intrabo in requiem. Sed Dei viro dicite, ut matrem meam moneat, et omnia, quae[1] vivens possederam, faciat pauperibus * erogari.* Hoc audiens vir beatus a matre sua, diligenter puellae genetricem monuit, ut res suae filiae erogaret

* f. 51r.

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] placabat *cod.* — [3] *sic.*

pauperibus, quae et quales fuerant ex nomine manifestans. Cuius voto et praecepto filiae mater non distulit oboedire. Sed quid multa referam? ad beatam viduam frequenter convenerant defunctorum turbae spirituum, suffragia viri Dei et ipsius intente supplicantium; quorum causas et gemitus si libro velim praesenti inserere, pigris auditoribus timeo fastidium generare.

Puella quaedam in pago morabatur Haspaniae, quam sic visibiliter ludificabat daemonium, ut in specie iuvenis sibi saepius apparentis optatis puellae potiretur colloquiis, quaedam nihilominus munuscula vel aliquid pecuniae multotiens offerens seu mutuans a puella. Quo cognito, quidam monachus, qui viro Dei carus et notus exstiterat, puellam iussit venire Leodium et Dei famulo quantocius praesentari. Volenti igitur ex ipsius admonitione monachi ad urbem accedere, daemon
Gen. 31, 2 sicut heri et nudius tertius in forma praefati iuvenis apparuit, spondens et mentiens se, quicquid ab ipsa in donis acceperat, quam citius redditurum et multo amplius se daturum, si ab ea tantummodo profectione se vellet subtrahere et monita contemnere monachi saepe dicti. Venit tandem Leodium; praesentatamque sibi et etiam confitentem secum iubet Dei famulus per dies aliquot remorari. Iter autem puellae, ne scilicet veniret Leodium, daemon reciprocare voluit; quodam enim suo subtili intellectus acumine, quia spiritus est, miseram cognoscebat se perdere, quam captivam liberius possederat ex antiquo. Ipsius autem cellulae, quam vir beatus puellae soli concesserat ad manendum, die cottidie ex aqua ab eo benedicta umectabat parietes, ut per huius aquae substantiam malignorum fugaretur immunditia, nec illic ultra spiritus pestilens residere praesumeret, sed et quantocius latentis insidiae discederent inimici (1). Affirmabat enim aquae benedictae non modicam inesse efficaciam, dummodo in benedi-
* f. 51v. cendo * mos ecclesiasticus observatur. Nam et illic scriptum invenies: ***Deus qui sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti, ut, quicquid ab eis digne perfecteque agitur, a te fieri credatur.*** Intrandi autem in praefatam cellulam propter vim aquae daemon facultate perdita, immanem multiplicemque in ipsius circuitu strepitum commovebat, ut omnium inibi dormientium non minimo pavore concuteret animos puerorum. Quodsi quandoque misera ad requisita naturae cogeretur egredi, tunc aderat, tunc instabat, tunc dabat ei alapas verberabatque in facie ita, quod sonus ictuum de facili poterat percipi per auditum. Sciensque Dei servus avelli non posse a misera inveteratum hospitem ex arrupto, deprecabatur Dominum confitentemque sibi persaepe communicans, multum ei conferebat tali medicamine gratiae et vigoris. Quid multis immoror? hac in hostem vir beatus usus est victoria, ut qui puellam aliquando, prout dictum est, ad Dei famulum venire dissuaserat, ad eam ipsius viri Dei meritis constrictus et precibus venire ulterius non auderet. Cum autem ipsi puellae tandem daemon valefacere debuisset, manifestare illi ausus est tale signum et suae damnationis tam evidens argumentum et ab ea penitus modum et ordinem recedendi. Puella sciens et considerans quod adversus eam daemon nil posset proficere, si colloquio sancti patris eiusque

(1) *Ut per huius - inimici:* ex formula benedictionis aquae.

praesentia crebrius frueretur, die quadam deliberabat animo quod, si posset amplecti Dei famulum, in amplexu huiusmodi adversus omnes inimici versutias eiusque malevolos et subdolos cogitatus non parum ipsa conciperet gratiae et virtutis. Factumque est, ut venientis ad se[1] et castum eius ad amplexum ardentius suspirantis caput puellae vir beatus appropians, et ipsum casto cum amplexu suscipiens suo illo sacro in pectore reclinatum, sermone et spiritu contra omnem inimici versutiam non modicam puellae dedit constantiam, prout in nocte sequenti media manifestus rei exitus approbavit. Intempestae siquidem noctis silentio subsequentis ignarus hostis, quod aliquid in amplexu* viri puella sumpsisset virium, * f. 52r. ipsam ausu temerario aggredi non timuit in hunc modum. Venit ad eam, cum adhuc instaret illa vigiliis, servi Dei assumpta effigie, et eiusdem in omnibus sibi formam approprians, antiquae praesumptionis non immemor, ut qui positus in excelsis similis esse volebat Altissimo, nunc et in terra profugus servi Dei altissimi similis appareret. Is. 14, 14. Sed illic quemadmodum propter cordis superbiam voluntatisque vitium decoris omnimodum gloria spoliatus de supernis ad ima delabitur, ita et nunc ob usurpatam sancti patris effigiem damnatus perpetuo proicitur in profundum. Quem ad se venisse puella sola considerans, nullas suspicata insidias, inconcusso corde rei exitum exspectabat. Hostis vero Dei servo non deferens nec honorem dans formae, quam impudenter assumpsisse simulaverat, inter verba mutua ea, quae carnem sapiebant, evomuit, et ad vitium paulatim satagebat serpere, interdum immiscens verba plena lenociniis; et ut mentem eius omnino corrumperet et gestis [et][2] habitu non timuit lacessire[3]. Cuius auditis illa sermonibus[4], secum parumper deliberans, meritisque in tali articulo viri Dei et precibus coadiuta, daemoni sic respondit: *Patrem meum, virum sanctum, castum, pium, corde credo, ore profiteor, et ex eo tempore, quo suam accepi notitiam, quicquid sanctum, quicquid pudicum, quicquid ad salutem pertinens ex eius ore suscepi, sed nihil unquam talium, quibus me suam filiam ausus es molestare.* Et post pauca: *Et in nomine Iesu Christi, cui idem servit in spiritu, et in ipsius patris mei nomine et virtute, si quam apud Deum habet gratiam, aut si quid praevalet in te tuique similes, tibi praecipio ut abscedens quantocius finem obscenis ponas sermonibus, et ex hoc nunc et deinceps mihi non valeas insultare.* Necdum verba finierat, et hostis ab ea, quam simulaverat, evanescens effigie, coram* puella in truncum mutatus est igneum, * f. 52v. manifestum praebens indicium iam acceptae sententiae, qua plectendus erat in die iudicii, ut qui patrem sanctum simulans ardore libidinis virginem voluerat inflammare, damnatus aeternaliter, etiam in praesentiarum positus poenis infernalibus immersus perpetuo incipiat iam ardere. Verum antequam a conspectu virginis abscessisset, damnationis suae accepta sententia, rugitum tam dirum evomuit, ut quam plures alias illic virgines dormientes vox a somno horribilis excitaret. Mane facto, ad virum Dei puella revertitur, ipsi quid illa nocte viderat vel audierat referens ex ordine, et quantas praecipue ab ipso passa sit angustias, et quanam

[1] ad se *add. m. pr. in marg.* — [2] *suppleri.* — [3] lacescire *cod.* — [4] *add. m. pr. in marg.*

maligno responderit spiritus [1] libertate. Cuius benedictione percepta, pacificatis sensibus, rediit ad propria, a praedicto nihil mali amplius patiens vel passura. Nullum autem omnino moveat, quod virum Dei puellam complecti castissimo compassionis affectu dixerimus, cum nemo super hoc in viro Dei sinistrum debeat aliquid suspicari, si attente, quae scripta sunt, voluerit perscrutari. Sed e contra non dicimus datam esse licentiam quacumque ex causa mulierculas tangere vel amplecti volentibus, cum ea legem communem non faciant, quae privilegia sunt paucorum. Praeterea quod praefata puella de daemone servo Dei rettulerat, hoc illius sociae pariter commorantes verissime testabantur. Venientes etenim die ipsa ad eum, querebantur graviter cum praedicta non posse demorari amplius, quia praecedente illa nocte, quando ita hostis evanescens intonuit, horror omnes tantus invaserat, ut et rugitus, quem dormientes audierant, non solum a sommo fecerat vigiles, immo etiam a sensu propemodum fecerat alienas.

* f. 53r. Sedit aliquando vir beatus in sua illa basilica, * audiendis confessionibus dans operam, nullum quidem tempus perdens in otio, sed dormiens aut vigilans in Dei servitio iugiter occupatus. Qui cum haberet cum praefata puella colloquium, ipsam in disciplina morum verbo et exemplo instituens, puella ei altera adducitur, quae sui possessoris noviter desub iugo daemonis graviter laborabat. Hunc vir sanctus confestim aggreditur, adiurat ut exeat; sed ingressus plurimum reluctatur. Tandemque illi in potenti virtute verborum exire imperat, et sacras manus laborantis superponens capiti: *Exi*, ait, *ab ea, Satanas, et tuae damnationis recognoscens* Ioh. 9, 24. *sententiam, da gloriam Deo vivo et vero omnium creatori; et discedens quantocius, eius ne molestes amplius creaturam*. Assidebant autem ipsae puellae sancti patris lateri [2], porro ipse medius inter illas. Tunc illius precibus, virtuti et meritis verborumque potentiae daemon ultra veritus resistere, ab ista quidem exiit, in sanatam alteram insiliens in momento. Quo viso, *Nihil*, ait sanctus, *tua tibi prodest astutia; sed nec tibi ab ista exire praeceptum est, ut alteram occupares*. Surgens ergo, sanatae isti corpus dedit dominicum, ne forte ad eam ultra daemon saltum reflecteret, et fremens in spiritu ad alteram est conversus. Et quid dicam? etiam et ab ista manuum impositione et divini nominis invocatione fugavit daemonium, reditumque prohibens, sanatam modo simili Christi sacramento corporis confirmavit.

Clericus quidam Bartholomaeus nomine, qui hodieque superest, morbi mirabilis praeventus insania, versus in rabiem arrepticii coram omnibus volutabatur spumans. In huiusmodi ergo miseria constitutus, viri sancti expetivit praesentiam, ut, si apud Deum ei collata in medendis talibus sit potestas, hanc misero in praesenti ostendere dignaretur. Ad quem ipse veniens, primo iubet confiteri crimina et satisfactionem promittere de commissis. Quo spondente, quendam vir Domini ad * f. 53v. ecclesiam misit presbyterum ad * sacram eucharistiam deferendam. Quam allatam furioso conferens, mansuetum reddidit; fugataque frenesi et sospitate reddita, ita sensum miseri mitigavit, ut reversus in se et compunctus clericus flebiliter inclamaret, conscientia perurgente: *O quam miseri sunt*, ait, *qui divina abutentes*

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] lateris *cod.*

patientia, abstinere differunt a peccatis. Hoc autem protulit ex arrupto, qui bonitatem divinam, Dei mediante famulo, tam evidenter et lucide probaverat in seipso.

Familiaris etiam servo Dei quaedam erat virgo gratissima; quam frequenter visitans, vinum dabat ei bibere cum aqua mixtum, quod beatis eius lotis fluebat de manibus, postquam illud mysterium missae confecisset. Quo hausto, unus erat amborum spiritus, quos in unum coniunxerat gratae compassio caritatis. In tantum enim compatiebatur virgini, ut illius in se transferret doloris aculeos, quae dolore praeventa nescio quo, paene iugiter lectulo decumbebat. Cumque, ut praemissum est, solo contentus iuvene languidam visitaret, et intrantes domum infirmanti assisterent, inter illam et iuvenem affuit etiam ipse Satan. Cuius[1] decepti versutia capti sunt ambo in utriusque oculis, unusquisque autem in suo ordine. Iudith 10, 17. Erat quoque vis amoris in puella tam vehemens, quod, si vidisset[2] iuvenem aut lepram incurrere vel assumi in praesulem, ipsum nihilominus aequaliter diceret adamare. At qui novit omnia, antequam fiant, Dan. 13, 42. sui servi meritis amoris indebiti exstinxit incendium, ne, si forte plus aequo procederet, castus illius spiritus, quem puellae coniunxerat, quantulacumque eorum mollitie vel leviter gravaretur. Unde factum est ut si quando praedictus iuvenis, carnis ductus lascivia, sinistrum quippiam cogitasset de virgine, mox invisibiliter correptus a daemone, totus erat insaniens, ambulansque in circuitu, etiam praesente Dei famulo, volebat se in pulverem more arrepticii volutare; et nullam alicubi salutem repperiens, urbem cogebatur egredi; mirumque dictu, in urbe dolor et infirmitas, deforis vero pax et sanitas iuvenem sequebatur. Hoc autem * totum factum est, ut, ex quo suum virgini pater sanctus * f. 54r. coniunxisset spiritum, ipsa mente et corpore permaneret innocens; Matth. 1, 22. ipsa quoque civitas, quam multis vir beatus meritis protegebat et precibus, amorem indebitum taliter acclamabat se sustinere non posse. Praefatus ergo iuvenis a viro Dei monitus, commutavit animum[2], et, quo devinctus fuerat[2], amoris illiciti exstinguens incendium, ex eo iam tempore virgini valefecit.

Sanctimonialis quaedam femina[3] in extremo constituta spiritu et in eo degens coenobio, quod Vallis Benedicta dicitur (1), a viro Dei visitari petiit; cui secure confitens, mortem exspectabat securior, suorum a Domino praestolans accipere veniam peccatorum. A qua semotus paululum cum alios[3] vir beatus intenderet, morientis spiritus subito ei coniunctus est, tantoque illi ardentius inhaerebat, quanto praecellit amplexus corporeos amor et affinitas spirituum in Domino coniunctorum. Tunc repente clamor factus est, Matth. 25, 6. quia cunctis, qui convenerant, vitae illius exitus imminebat; pulsataque tabula, fit concursus omnium, et amicam repatriantem fidei nostrae symbolum ruminando devotius prosequuntur. Cumque adstans cum ceteris morientis vultui vir beatus intenderet, a sinistra parte vidit

[1] cui *cod.* — [2] *add. m. pr. in marg.* — [3] *sic; corrigendum videtur :* alias.

(1) *Val-Benoit*, abbatia ordinis Cisterciensis prope Leodium. Cfr. *Gall. christ.*, t. III, col. 1036 sqq.

illam caput declinare in dexteram, ac si aliquid adversi conspiceret, et sic in eo, cui sancte vixerat, sanctius obdormire. Quae statim propter adstantes, quas videbat et pavebat, daemonum nequitias totam. mira dicturus sum, viri Dei se immersit spiritui, ad eum, qui victor erat talium, tamquam ad civitatem refugii et turrim fortitudinis recucurrit. Pro illa ergo coniuncta sibi in Domino tamquam pro se sollicitus, precibus vacabat assiduis, donec rapto in spiritu eiusdem appareret anima, — vivens enim a suis fuerat[1] coniurata sororibus, — feminea voce solum proferens hunc sermonem: *Quid vultis, domine?* Quod verbum postmodum cum voce consimili dictis referret sororibus: *Vere*, aiunt, *ipsa fuit. Vivens enim taliter loquebatur.* Illi ergo pars adversa non nocuit, quae patris sancti confisa est precibus, et quam, sicut dictum est, a daemonum insidiis sua merita protexere.

Ios. 21, 36. Ps. 60, 4.

Ipse vero, antequam in servandis reliquiis maioris esset subcustos ecclesiae, cum ad [2]recreandum sacrum illud corpusculum, quod studio continentiae inauditis erat afflictum paenitentiis, medium iter ageret, solus eum comitabatur iuvenis, qui postea functus est officio sacerdotis. Cumque pergerent ambo simul et incedentes sermocinarentur, de votis sermo se obtulit, quid scilicet quisque deberet eligere, si posset vota effectui mancipari. Affectante illo varias suae carnis delicias omnemque prorsus istius vitae gloriam, *Non sic*, ait vir Dei, *non sic; sed mihi si daretur optio, secus pii mausoleum martyris solus solam vellem habere cellulam, superius caelatura, subtus quoque decoratam testudine, ubi noctis tempore lumen arderet iugiter, depicta insuper et defixa coram me in tabula imagine crucifixi.* Cuius votum per omnia infra brevem impleri terminum videns ille iuvenis: *Vere*, ait ipsum alloquens, *quia haec omnia in nomine Salvatoris petieras, exaudiri dignus es; ego vero digne repulsus sum illa petens, quae meae obnoxia sunt [3] saluti.* Erat autem ipsa cellula locus quidem solitarius tantisque eo tempore plenus daemoniis, ut nullam Dei viro conferre posset requiem, sed erat ei potius in augmentum taedii et laboris. Unde et quendam, qui inibi aliquando [1] pernoctaverat, diaconem illi crudeles incolae [1], ut a loco expellerent, etiam suffocato spiritu a corpore expulerunt. Constitutus vero subsequens contra eos in agone certaminis bellabat bella Domini. Unde et qualibet dominica aquam digne satis consecrans, illius habitaculi respergebat parietes, pro qua ipsi daemones ignitas sartagines libentius sustinerent. Cumque illorum legio precum istius instantia et virtute cellam cogeretur relinquere, quasi magni Aethiopis assumens effigiem, iam facta nocte media, viro Dei astitit; sed oranti obstare non praevalens, repente pertransiit, et ex eo tempore nusquam extra cellulam, sed tectum eius desuper tam ferox exercitus obsidebat. Contra quem intrepidus hasta saepe utebatur lignea, caelaturamque concutiens tumultuantem strepitum strepitu consimili refrenabat [4]. Postquam vero miles emeritus huiusmodi triumphasset de hostibus, tota eorum pariter conglobata legio, sicut massae forma horribilis ipsius conculcanda pedibus, repentino sonitu coram eo cecidit; sed mox ut fumus deficiens evanuit et recessit. Relicta autem cellula, tectum conscendit ecclesiae, ubi tumultuantes tam immensum commovebant

* f. 54v.

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *supplevi.* — [3] obnixia *ante corr.* — [4] refrenebat *cod.*

strepitum, ut custodes illic perterritos compellerent exclamare: *Latrones! latrones!* Sumptisque lampadibus, saepta templi circueunt; sed nefandorum cessante strepitu, neminem invenerunt. Contigit etiam in ipsa ecclesia quendam orare presbyterum, qui virum Dei alloquens, * se molestari graviter querebatur, quod volens * f. 55r. orationi incumbere, strepitum prope locum tam horridum advertebat, quod exinde paene poterat amentari. Ipse vero Dei servus numquam a precibus animum relaxavit, usquequo a cellula et ipsius saeptis ecclesiae praedictorum spirituum spurcitias exstirpasset. Cuius rei gratia sic ipsius nutibus ex eo iam tempore visi sunt oboedire, ut eius imperio ex obsessis corporibus quam plurimi fugarentur. Unde cum ex revolutione annua diem illam adesse contingeret, in qua ventris dominus coli solet devotius, puer quidam in vino et epulis sic gulae indulserat, quod mentis passus inopiam, rectum iam excederet [1] tramitem discernendi. Cui cum sodales, ut assolet, illusissent, ipse intrans ecclesiam et cultrum arripiens, cum totus vino maderet ebrius, adhuc tamen agitatus a daemone, cruorem adstantium effundere sitiebat. Tunc gavisi daemones virum Dei conveniunt, et volentem quiescere concitato strepitu non sinebant. Surgit ergo velocius egressusque cellulam dictum scholarem repperit, illumque accersiens, sui virtute spiritus ab ipso compescuit spiritum malignandi.

Locus quidam civitati erat contiguus, quem sanctarum virginum multitudo inhabitans se corde et corpore divinae subiecerat servituti. In quibus unam sic daemon obsederat, ut stans, sedens vel ambulans nihil praeter daemonem nunc iuveni similem, nunc ut lucis angelum, nunc vero tamquam incubum [2] poterat II Cor. 11, 14. intueri. Qui licet aliis invisibilis, corrodendo tamen parietes et strepitum faciendo omni auditui se fecerat manifestum. Ad quam accedentes multi vitae laudabilis, a tam dilecta hospita inveteratum satanam nequiverunt expellere, donec ille accederet, cui datum fuerat de talibus triumphare. Quem praesentem puella mox alloquitur: *Quia*, inquiens, *pater bone, ad me venire dignatus es, hospes meus turbatus est.* Subridens itaque et eos, qui convenerant, foras exire praecipiens, oravit breviter; manuque illi imposita, confiteri ammonet, confessamque protinus a peccatis et daemone virtute deifica reddidit absolutam.

In villa, cui Torracum nomen est (1), quaedam morabatur puellula, cuius maligni spiritus, quos tumphas * vocant, flexibilem allicientes animum, aurea illi frequenter * f. 55v. offerebant munuscula, ut tantis ac talibus delusam fallaciis secum possent deducere et suis officiis perpetuo subiugare. Quae cum die quadam per suum, in quo erat fluvius, cursitaret pomerium, praefatos vidit spiritus in puellari specie ripam girare fluminis et cum multis muneribus falsisque eulogiis intricatis manibus eidem applaudere et in amnis medio, quasi fessis pedibus, figere stationem. Quos puella intuens circuibat fluvium, sed iter non inveniens, aquam volebat ingredi; cecidissetque naufraga, si non a flumine soror eius stans propius subito retraxisset.

[1] discederet *ante corr.* — [2] iucubitu *cod. ante corr.*; incubi *post corr.*

(1) *Tournai*, ut videtur, viculus prope *Saive*, 10 kilom. distans a Leodio.

Iamque in ea tanta erat vis daemonis, ut, quotiens sciscitanti cuilibet fari vellet quae viderat, vocem simul perderet et loquelam; cumque eam ad iustum quendam et timoratum monachum parentes, salutis spe perdita, transveherent, ille se existimans non esse tanti meriti, misit puellam Leodium, solique Dei famulo sola relinquitur ad sanandum. Quam blande leniterque suscipiens, primo eam peccata confiteri monuit; sed de praedictis phantasiis cum quippiam quaesivisset, illa statim obmutuit, solumque gemitus, suspiria, lacrimae, quae foris, interna cordis vulnera declarabant. Cui sanctus compatiens: *In crastinum*, ait, *filia mi, revertere; spero enim in Domino quod optatae citius donaberis sospitati.* Mane facto, reversa est, iamque loquens libere corpus ab ipso percepit dominicum, sicque ab omni soluta phantasmate [1], vocis usum ultra non perdidit, sed in sui miraculo Dominum magnificans, cum salutis gaudio, percepta sancti patris benedictione, ad propria remeavit.

Iuvenis apud Leodium tam multiplicibus ludificabatur daemoniis, ut, cum iam esset quasdam verborum proferens spurcitias, habitu vel nutibus nihil praeter daemonem oculis spectantium praetendebat. Qui multas magni personas investigans nominis, cum iam huc illuc errabundus discurreret, tandem Dei famulo, quasi salutis spe perdita, noti eius et affines cum precibus obtulerunt. Cui confitenti sacras manus imposuit, sanumque et incolumem [2] amicis restituens, hanc
* f. 56r. legem dedit puero ut, si vellet in posterum salutis * frui requie, quae maligni suggererent [3], nihil horum [4] praesumeret sermonibus [5] indicare. Soror vero ipsius iuvenis, cum iam dudum decumbens lectulo desperato languori succumberet, a viro Dei moribunda meruit visitari. Cuius ille plus animae quam corporis salutem desiderans, conversus ad feminam: *Si te*, ait, *devotam Christo virginem servare volueris, ego rogabo pro te, confidens in Domino, quod optatae citius donaberis sospitati.* Cui illa: *Si dictis*, inquit, *facta compenses, teste Christo, faciam quod hortaris.* Quid multa? orante viro, puella convaluit; nec immemor sponsionis, cum iam esset nubilis, valefecit saeculo, et sancti patris monitis deinceps in omnibus oboedivit. Ambobus ergo taliter vir beatus profuit, hanc a morbo liberans, fratrem autem a daemone; qui, nobis cernentibus, sacerdotis postea functus est dignitate.

Puella quaedam apud Sanctum Christoforum, qui locus est prope Leodium (1), morabatur, quam tanto atrocius, quanto et occultius, vexabat daemonium. Graviora enim sunt occulta vulnera manifestis. Cuius quia vitium vix comprehendi poterat, non est mei ingenii, ut sermone vel littera debeat explicari. Est tamen certissimum quod adversus eam illud praevaluisset daemonium; sed occurrens vir beatus illi manus imposuit, et exorans breviter, desub iugo daemonis eripuit laborantem. Quae se sanatam sentiens et tam gratae gratiae ingratam efficiens, et, quem venerari
Luc. 17, 18. debuit patrem, ex toto deserens, non redibat, nec dabat gloriam Deo. Mirabatur quoque beatus vir quod odio habebatur, unde plus amari debuerat. Et ecce quaedam sancta mulier absque ullo sermonis adminiculo sed, solius Dei spiritu revelante,

[1] fatasmate *cod.* — [2] incolimem *cod.* — [3] suggerent *cod.* — [4] *add. m. pr. sup. lin.* — [5] *add. m. pr. in marg.*

(1) Estque nunc una ex parroeciis ipsius civitatis.

puellae illius vitium intellegens et salutem, ipsum sic allocuta est : *Puella*[1], ait[1], *haec, si perfecte cognosceret de quantis per te sit erepta periculis, te certe prae omnibus venerari debuerat, patrem tam beneficum et a potestate daemonis tam gratuitum ereptorem.*

Matrona quaedam magni generis Leodii morabatur, quae noviter mariti defuncti patiens absentiam, tolerare non poterat * gravamen et molestias remanentis sibi familiae, paupertate nimia circumventa. Mariti ergo, ut dictum est, orbata solatio, non solum rerum patiebatur inopiam, verum ob praedicta ad tantam devenit mentis animique maestitiam, ut facta mentis inops, cui, viro vivente, diversae supellectilis sufficiens fuit possessio, nunc omnium suorum, illo mortuo, perdita possessione sensuum, vellet nollet, inciperet a daemone possideri. Misertus autem eius vir Domini, illius iam considerans oculorum sub nutibus gestibusque[1] corporis et varietate spiritus nil in ea aliud apparere quam daemonem, manu illi imposita, oravit ad Dominum; et precis pondus malignus non sustinens, qui de novo advenerat, non inveteratus leviter eicitur, et possessa a daemone mulier liberatur.

* f 56v.

Tempus erat vindemiae et, messe praeterita, in spargendo semine terris instabant ruricolae; sed, inundante pluvia, labor tam continuus spe futurorum fructuum penitus frustrabatur. Parvi pendebant divites aeris intemperiem; nam, horreis ipsorum et doliis frumento plenis et oleo, vino etiam torcularia inundabant. Intellegens itaque homo Dei quod totus cladis impetus grassaretur in pauperes, crebris instabat precibus, ut superaret lacrimis, quod virtute non poterat; nam de omni negotio plus confidebat orationi quam propriae industriae vel labori. Oranti autem divinitus innotuit quod, si clerus omnis, populo assistente, has duas post missae specialis officium *Media vita* (1) et *Salve Regina* decantaret antiphonas, mox repressis imbribus et serenitate reddita, praedictum cessaret diluvium, et ipsa tellus herbida uberius in segetes pullularet[2]. Quod ut divulgatum est, fit concursus omnium, cantatisque, ut dictum est, praefatis carminibus, voces sequuntur lacrimae, lacrimasque quantocius aeris serenitas est secuta. Porro si Dei famulus seorsum intenderet vel urbem egrediens orare desisteret, mox, densatis nubibus et corrupto aere, aquarum congeries desuper imminebat. Qui tamen divinae voluntati votum * suum non praeferens nec quasi recalcitrans, cum mentis instantia, sed corde humillimo, orabat pro populo, primo et principaliter in petendis omnibus Dei se subiciens voluntati. Illo quidem tempore duas personas vidimus, quarum una sub regula Cisterciensis ordinis Deo militaverat, altera vero ipsa fuit mulier, quae de Hugone praesule rettulerat haec praedicta (2). Istae, inquam, praefati diluvii impetum non ferentes, cum devote satis, sed minus humiliter, Dominum precarentur, quia votum suum minus caute, licet pium, divinis opposuere obtutibus, vocante eos Domino, celerius a saeculo migravere. Cumque ipsam feminam instantis mortis gravaret infirmitas, quia viro Dei nota satis exstiterat, crebro illius expetebat praesentiam; nam viso eo pioque ipsius relevata colloquio exinde per biduum supervivere vide-

* f. 57r.

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] pollularet *cod.*

(1) Cfr. Chevalier, *Repert. hymn.*, num. 11419. — (2) Supra cap. v (p. 258).

batur. Quod si forte suum post biduum protelaret reditum: *Vivere,* aiebat illa, *ultra non valeo, quia mihi sanctus ille se diutius absentavit. Aut cito ergo veniat, aut ad eum quantocius, licet sim deficiens, properabo.* In huiusmodi vero statu cum diu permanens nec mori posset, nec vivere sineretur, cognito quod vir Dei visitationis gratia suum retardaret exitum, misso ad eum nuntio, se amplius prohibuit visitari. Ille venire distulit, et ad metam moribunda properans [1], deficiente corpore, decedere cogebatur. Mira res, in patris sancti praesentia vita illi longior, in ipsius Matth. 24, 33. absentia mors erat in ianuis mulieris. Novissime vero constitutam in spiritu ipse venit ad languidam, verborum sanctorum gratia refocillans ilico migraturam. Tunc aegra: *Pro me,* ait, *pater bone, Dominum deprecare, ne pars sinistra, quae prope astat, exeunti de corpore audeat insultare.* Cumque vir Dei confessam absolveret, et, sic relicta ea, egrediens medium iter ageret, quasi hora media, rapta illa in spiritu statim in se rediit: *Vere,* inquiens, *hoc ex dispositione Dei actum est, quod servus eius hodie me visitare voluit; nam, ipso facto medio, a peccatis omnibus* * f. 57v. *Dominus me absolvit. Et nunc* * *rapta in spiritu tantam sensi gratiam, quam si verbis possem, prout est, exprimere, mundum ipsum arbitror sustinere non possem.* Quod ut dixit, sancta illa anima carne soluta est. Post suum vero obitum reversa in spiritu viro Dei adstitit in veste perlucida, se patri sanctissimo filiam repraesentans. Prae cuius splendore luminis vir Dei, corporali caligante oculo, ex sola spiritus unione cognovit nil haesitans defunctae spiritum advenisse. Cui statim: *Quomodo,* inquit, *tibi est, filia mi?* Et spiritus: *Vere, pater, optime.* Ipsi autem superaddere cupienti: *Tempus est,* ait spiritus, *ut revertar ad eum qui me misit, a quo prohibeor nunc amplius remorari.* Illius ergo certus de gloria vir beatus benedicebat Dominum, qui in sexu tam fragili etiam magnifice dignatus est operari. His ita completis, defunctae tugurium, facta quadam compositione, ipse sibi vindicans, religiosarum virginum fecit habitaculum, multiplicatisque thalamis, ad suscipiendum pauperes plus quam triginta numero ipsius parietes dilatavit; quae tamdiu illic gratis habitare poterant, quamdiu honeste proponerent conversari. Super quibus hostis antiquus impatiens, unam earum, quae Beatrix vocabatur, infestare non timuit, ipsam, sumpta forma monachi, quasi sub sancto habitu cupiens fallaciter irretire. Aliquando etiam assumebat effigiem rugientis catuli, ut mentem huius pavidam tam crudelis belua cogeret insanire. Quae ad Dei hominem cum venire disponeret, tunc torquebatur amplius, et vix tandem perveniens, sub eius solum dextera resumebat spiritum, eiusque docta monitis et firmata precibus, quae moribunda venerat, pacificatis sensibus, incolumis remeabat. Quam volens Deus non solum desub iugo daemonis eripere laborantem, sed et victricem pro labore certaminis coronare, illam mortis decidere passus est in languorem. Quae cum vitae exitum imminere cognosceret, accepit viaticum, et sacro uncta oleo in Christo, quem dilexerat, fideliter obdormivit. Pro qua vir Domini cum per biduum exoraret, cum * f. 58r. ingenti strepitu resistebant daemones, * eo quod ipsis vim facere pro praedicta anima videretur. Die vero tertia, triumphatis hostibus, cognovit per spiritum illam

[1] praeparans *cod.*

duci in requiem, benedixitque Dominum, qui in caeli aerario ipsius habitaculi primitias dignatus est collocare. Persona quaedam etiam ipsum alloquens: *Amplius,* inquit, *ne sollicitaris pro filia. Biduo enim per ignem et aquam transiens, statim* Ps. 65, 12. *die tertio in refrigerium ducta est.* Sic igitur, Domino revelante, quod vir Dei praesenserat, alteri donatum est intueri.

Sacris imbuendum litteris et moribus secum infantulum pius pater susceperat; qui caute minus ascendens in altum, a parte domus ardua, lapso pede, corruit, confractoque corpore terram totam liquore sanguineo umectavit. Cuius urinam ex internorum confractione sanguineam medici contuentes, spem in eo[1] vitae percipere non poterant vel salutis. Quod ut viro Dei innotuit, statim, cunctis postpositis, festinabat occurrere, melioraque balsamo fidei et virtutis secum portans aromata, huius medendis artubus sacras manus imposuit, oransque suppliciter sanatum corpus puero et puerum restituit sospitati.

Iam, spirante borea, aquarum superficiem triste gelu contraxerat. Puer autem parvulus pontem quendam transiens super aquam cecidit, cuius superficiem lignorum congeries constricta in glacie fecerat duriorem. Pro dolor! semivivus puer fluvii palpitabat in glacie, et ex eius confracto corpusculo coloris alterius fluvius emanabat. Quem mater adveniens, postquam videt puerum, clamans et flens largiter in ulnas arripuit, querulosisque deflebat suspiriis morte tam miserabili sua viscera deperire. Cuius casus audita miseria, vir beatus in fervore spiritus cucurrit ad puerum; sed in ipso itinere quendam vidit hominem, qui parabat[2] ad exitum in extremo spiritu constitutus. Cui de sui virtute spiritus participans, antequam pervenisset ad puerum, saluti virum restituit, qui se primam partem gratiae non paenituit accepisse. Ad saucium vero vir Dei * pertransiens, quia per hominem illum * f. 58v. fervor sui spiritus ex arrupto dimidiatus fuerat, et virtutis gratia, ut sic dixerim, ad modicum imminuta, oravit prolixius; tandem exauditum se sentiens, fracti membra corpusculi suis restauravit officiis, et sanatum puerum, qui paene fuit mortuus, lamentanti restituit genetrici.

Licet de patre sancto sub censura silentii multa posuerim, quae non licet homini loqui, quamquam sint facta per hominem, propter fidei inopiam plurima mihi cognita praetermitto. Transeundum tamen non arbitror quam malivola crudelique nequitia et, si non in suis, saltem ipsi daemones in discipulorum illius incommodis sensum viri sancti vel ad modicum a Deo nitebantur avertere. Ex quorum instinctu contigit scholarem quendam cum Dei famulo commorantem ab eminentiore parte domus male cautum sic ruere, ut in parte maxima cerebri fracta testudine, vix sola tela tenuis cerebrum ebulliens retineret[3]. Hoc autem totum factum est, ut, dum Matth. 1, 22. istius artubus medendis intenderet, saltem vel ad modicum ferventis propositi tepesceret a rigore. Cui cum in aliquo non posset subvenire solatio corporali, ex ablutionum tamen haustu, quas puero iugiter deferebat, omnibus medicinis dabat constantiam ampliorem. Factumque est ut, eo medicina huiusmodi aegrotantis pueri refocillante spiritum, et foras quodam medico locum redintegrante vulneris,

[1] ea *cod.* — [2] *sic; forsan corrigendum* properabat. — [3] *add. m. pr. in marg.*

concupitam iuvenis diutius reciperet sospitatem. Sed heu! peiora prioribus subsequuntur incommoda, quia tempus et horam curationis festino illo nimium accelerante medico, ossibusque cerebri non bene dispositis, male sana sanitas lethargiae morbum iuveni videbatur ingerere, qui et risum prohibens semper eum fecerat sollicitum ad soporem. Quapropter quidam alter primo peritior accersitur medicus, per cuius consilium, quasi sculperent in silice, ita, ferro admoto et malleo, * f. 59r. * male sani refractique locum ampliabant vulneris, ut, cerebri patefacta testudine, inveteratam eraderent saniem et sic, quae remanserant, ossium fracturas extraherent, bene et per ordinem reliqua disponentes. Et quis, Deus meus, puero tormentis subiecto huiusmodi dare posset sufferentiam, nisi quia, ex coniuncto sibi paterno spiritu accepta fortitudine, parvi pendebat etiamsi perderet et seipsum. Cuius ipse medicus dolorem considerans et videns constantiam, compunctus corde tenus: *Quam multi*, ait, *fili mi, martyres caeli pervenerunt ad praemia per poenas momentaneas, quas ille, quem pateris, superat cruciatus.* Et de quodam locutus saucio, qui per vulnus occubuit: *Vere*, ait, *huius in respectu nihil illum mali, quantum ex vulnere, arbitror pertulisse.* Interim causa exstitit, ut pergens Hoyum pater sanctus, quandam illic in reclusorio commorantem visitaret Christi famulam, quae iam se dudum ab ipso, sibi revelante spiritu, praesenserat visitandam. Quae si aliquando Christi sacramenta susciperet, ita suum miro modo ex virtute sacramenti deficiebat corpusculum, ut diu in spiritu tracta et interius commorata exteriusque sopita, vix per longum spatium remeare poterat in seipsam. Verumtamen cum ab homine Dei die quadam corpus dominicum suscepisset, quae olim tracta interius diem festum Domino agere consueverat, nullum ab hoc sustinens defectum sui corporis, ipsum, quem acceperat, in Christi famulo recognovit. Tractu itaque interno non eguit, cum haberet prae manibus quod volebat. Cui etiam post biduum vir sanctus valefaciens, Leodium revertitur, praedictum visitaturus puerum, quem tantae molestiae reliquerat subiacentem. Quo absentato, sic ipse puer defecerat, ut certa in eo apparerent mortis indicia, vix in eo vel tenuiter iam spiritu palpitante. * f. 59v. Reverso autem Dei servo defectus pueri per visum innotuit; qui cito * surgit a lectulo et iam nocte media corpus sumens dominicum aegrotanti tribuit, tam vivo medicamine corpus eius et spiritum non mediocriter refocillans. Quo recedente, factus puer hilarior et circumstantes suos allocutus vigiles: *Quis*, inquit, *domino meo dixerat, quod eius nunc praesentia et talis cibi fortitudine indigerem?* Ex eo vero tempore, cum virtute spiritus vigore etiam revertente corporis, in brevi convaluit, redditusque sibi, qui sic destitutus fuerat, post pusillum temporis sanus et incolumis ad propria remeavit.

Puella quaedam viri Dei spiritualiter filia et eidem in reficiendis sacris vestibus, quarum custos fuerat, admodum necessaria, infirmitati tantae prosternitur, ut per multum temporis aegritudinis durante molestia, vigor ille naturalisque affinitas, coniunctione cuius per corpus spirat anima, caro quoque per spiritum vegetatur, Ioh. 11, 4. mortificatis sensibus, paene de medio tolleretur. Haec autem non ad mortem erat infirmitas, sed ut sciret homo Dei in omni negotio voluntati divinae se subici oportere. Porro talem gratiam habebat apud Dominum, ut, si aegrotanti cuilibet aut

corpus dominicum aut solius sui dedisset ablutiones [1] calicis, miro modo [2] propter unionem spirituum, quos in unum coniunxerat virtus ipsa mysterii, ipse quidem aliquid de infirmi sentiebat molestia, et infirmus etiam ob salutem sancti vitam videbatur trahere longiorem. Nec mirum; ex mysterii enim illius virtute et gratia sic in eis cooperabatur Christi humanitas, ut mutus languido ex compassione spiritus videretur eidem, ut ita dixerim, immergere totaliter et seipsum. Nec poterat quantumcumque infirmus deficere, usquequo vir Domini haec munera tam viva distribuere distulisset. Ad infirmantis ergo puellae [3] remedium praedicta utens gratia, voluntati suae nimis indulserat, Domini beneplacitum male cautus non deliberans anteponi. Puellae vero spiritus * vitae et mortis in bivio constitutus nec (* f. 60r.) sinebatur vivere, vocante eum Domino, nec exire poterat sic retentus. Interim servum suum Dominus per [2] visum [2] dure satis increpavit, miro modo illi significans quod Domino venienti gratanter et absque repulsa debeat ostiarius aperire; tamquam diceret: „Tu quem ad meorum deputavi custodiam, stante me ad ostium et (Apoc. 3, 20.) per languoris pulsante molestiam, ingressum meum vel eorum exitum ultra non prohibeas, cum eos excitare venero, licet a me tibi indulta sit gratia retinendi". Visionem igitur vir beatus intellegens, de praedictis paenituit, et cautior factus, in reliquum se corde et animo commissosque sibi commendans Altissimo, proprio nil deinceps arbitrio dereliquit. At divina pietas, ut timentis se voto satisfaceret, suam, ut ita dixerim, voluntatem oblivisci visa est, suique propositi iam quasi expositam revocavit sententiam, puellam, quam praediximus, vitae restituens et ipsius corpusculum socians sospitati.

Familiaris viro Dei quaedam mulier opinionis bonae religionisque non minimae foris praetendebat hypocrisi, sed re non ita. Ipse vero [2] aliquantulum fallaci eius deceptus in habitu, ex toto in reliquum non potuit defraudari. Unde factum, ut feria 5ª quae est ante [4] parasceven, cum esset in spiritu, revelante sibi Domino, personae illius effigies eidem apparuit, pro dolor! non vivens in anima, sed, quod plus dolendum est, ad mortis perpetuae tumulum quantocius efferenda. Admirans autem aliud sibi revelari a Domino, quam crederet in persona, mulierem accersiit, secreta suae conscientiae solito diligentius eam commonens retractare. Quae cum Dei servo, sicut olim, praefatam praetendendo hypocrisim suum palliaret vitium, nec vero medico sanandum animae vulnus detegeret, ipse quidem movebatur amplius, cum nec in ea vitium palliatum posset deprehendere, nec delusus a Domino, quod ipse praeviderat [5], frivolum poterat aestimare. Quapropter ad orandum factus vehementior, totum rei eventum, sicut contigerat, flagitabat sibi a Domino revelari. Et factum est * ita. Secundo igitur mulierem accersiens et eam (* f. 60v.) statum suae animae, si quid corde, verbo vel opere deliquisset, investigare commonens, cum veram rei, prout gesta est, ab ea non posset extorquere notitiam: *Eia*, ait, *filia mi, quia mihi hactenus illusisti, quod vereris dicere, nec facere timuisti, saltem patefactum a me audias patienter*. Exponensque ei locum et tempus, in quo

[1] absolutiones *ante corr.* — [2] *add. m. pr. in marg.* — [3] puella *ante corr.* — [4] post *ante corr.* — [7] praevidetat *ante corr.*

deliquerat, personam et personae habitum, cum qua deliquerat, peccatum et peccati modum, quod commiserat, vellet nollet, miseram ad paenitentiam compulit vel invitam. Se quidem illa deprehensam considerans, de commisso paenituit, et precata veniam peccata iterum pro posse committere supersedit.

Ps. 10, 4. Exacerbato Domino super peccatis hominum, per totam provinciam famis saeviebat gladius; et frigescente caritatis igniculo, a manu potentium nulla erat pauperibus largitio pietatis. Vir autem Domini sollicitus, ne famis inedia inopes [1] deperirent, et votis et precibus curabat assiduis ipsum patrem patriae et bonorum omnium flectere largitorem. Cumque iter ageret, pauper quidam obvius propter panis penuriam suspiravit graviter, ipso Dei famulo audiente; cuius dolor suspirii ab ipsius pectore separari non potuit, donec, placato Domino, iste sub eius gratia tali modo meruit consolari. Cum clamantis ad Dominum cor esset indeficiens, misertus suorum Dominus statim corda divitum sua lustravit gratia, nec pios solummodo, sed et plures [2] impios benignos efficiens, et eorum marsupia [3] larga manu aperiens, universis pauperibus copiose tribuit ad vescendum. Sicque factum est, ut in illius articulo temporis propter famis inediam nec egenus quispiam visus est deperire.

Inter quosdam milites et ipsum servum Domini mota est contentio, ipso quidem non volente ea, quae ad eum spectabant [4], ecclesiastica deperire beneficia, militibus vero, ut illa inter se distraherent, contendentibus ex adverso. * f. 61r. * Quorum in virum Dei tanta erat et tam crudelis malignitas, ut in ipsius coniurasse viderentur interitum, atque eius sanguinem se sitire dicerent, volentes suum dare votum effectui, si tam immanis [5] facultas facinoris se offerret. Quia vero tunc temporis rei postulabat necessitas, ut personaliter ipse habitacula deberet expetere praedictorum, nec erat qui vices eius suppleret in [6] articulo, celebraturus mane, prius quam ascenderet [2], missale aperuit, volens per sacram paginam revelari sibi a Domino, quid sibi futurum contingeret die illo. Aperiens itaque, quem primum Ps. 90, 11. 12. invenit versiculum, primum legit: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus tollent te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Expleto ergo officio, ad hostes ascendit intrepidus; cuius vultum ex divina gratia terribilem intuentes, stabant quidem perterriti, tandemque susceptum honorifice coegerunt unanimiter, ut manducaret cum eis, cuius carnes paulo ante I Reg. 17, 44. dare bestiis et sanguinem condixerant effundendum. Cum vero ad praedictam postea solvendam calumniam pars utraque iudicem convenisset, iudex quoque super quodam litis articulo a praefatis militibus iurisiurandi expeteret cautionem, ille, qui ob avaritiam dandae sibi pecuniae contra suam ipsius animam iurare falso proposuerat, non solum iurare non potuit, verum ipso loco et tempore vocis et linguae defectum impatienter sustinens, coram multis obmutuit, viri Dei constrictus praesentia et territus ex virtute. Unde et de ipso negotio pro ipsius parte satisfactum est die illo.

[1] inopos *ante corr.* — [2] *add. m. pr. in marg.* — [3] mersupia *cod.* — [4] expectabant *cod.* — [5] inanis *cod.* — [6] (s. in) in suppleret *cod.*

Nocturnas vir sanctus cottidie anticipabat vigilias, et expletis nocte quadam precibus, ut male deficiens luminare reficeret, Sanctae Crucis intravit in cellulam, ingressusque in humana specie et conversi habitu videt illic daemonem in angulo latitantem; spiritumque * erroris recognoscens sui spiritus ex horrore, fronti suae (* f. 61v.) signum impressit vivificum, accedensque propius, non cunctatus quid quaereret aut quare advenerit, iubet tantum ut exeat. Coniuratus verumtamen [1] immobilis perseverat. Ipse vero totius nostrae fidei et salutis sacramenta replicans, quae pro nobis Christus in carne exercuit, cum non posset movere daemonem, subito menti eius beatae Trinitatis memoria illapsa est. *Et ego*, ait, *tibi exire praecipio in nomine et virtute sanctae et individuae Trinitatis;* statimque qui hactenus praemissis sermonibus cedere non volebat, nescio qua fidens vesania, quasi fumus evanuit, Trinitatis audito nomine et territus ex virtute. Quod si velis obicere, quomodo ad unius iussionis vocem ausus fuit resistere, et daemonis protervia et Christi patientia obiectam quantocitius poterit exsolvere quaestionem.

[XI.] Currebat athleta Christi senex quidem corpore, sed tanto spiritus fervore alacrior, quanto palmae vicinior, totoque nisu spiritus diem illum desiderans, qua transiret ex hoc mundo ad patrem, votis gravem sibi iacturam inferri existimans, (Ioh. 13, 1.) quod in domo lutea diutius moraretur. In cuius sacro pectore praeliabatur cum dolore pietas; nam dissolvi cupiens, a Christo diutius longe esse non poterat, et in (Philipp. 1. 23.) carne vivere cogebat eum evidens [1] necessitas proximorum. Cuiusmodi negotium cum soli Deo perficiendum relinqueret, anxiato eius spiritui satisfecit Dominus. Satisfecit autem sic. Sacerdotali stola circumdatus divino astabat ministerio et raptus in canone levabatur in spiritu proclivo, quia, iam rigescente corpusculo, vix in se redire potuit; fecissetque votis satis, si sanctae non fuisset dedecus ecclesiae, quod loco tali et tempore, non completo ministerio, incongrue decessisset. Quem paulo post mulier quaedam accersiens, quae votum eius, spiritu tantum revelante, cognoverat, in sermone Domini sic eum allocuta est: *Si placet,* * *alme pater, hic* (* f. 62r.) *remanere velis; nam te praesente viget in melius tua vitis.* Vidi ego in tempore hoc, immo, ut arbitror, hora illa, quasi factus in exstasi, ipsum beatum virum altari celebrantem assistere, salutarique illa elevata hostia, quasi totum liquefieri in eo, quem tenebat, corde quoque simul et corpore se quasi totum immergere gratiae redemptoris. Igitur videns homo Deum suis velle oboedire precibus, filiorum lacrimis retineri passus est, et a voto resiliens benedicebat Dominum, sic dicens intra se: *Etsi mihi Domino* [1] *adhaerere* [2] *bonum est, sed proximis utilius sub ipsius gratia, quoad ipse iusserit, in corpore militare.* (Ps. 72, 28.) Dicto nunc, carissimi, qualiter migrare volens potuerit retineri, audire non vos pigeat, quomodo etiam exire non deliberans meruit evocari.

Licet sanctorum omnium [1] beatus vir, sollers in precibus, pernox in vigiliis, imploraret suffragia, et implorans, quanto sibi erat possibile, vestigia sequeretur unus ex ipsis futurus in proximo, illis tamen amator munditiae corde et animo devotius praecipue iungebatur, quos sciebat ante Deum praerogativa praecellere

[1] *add. m. pr. in marg.* — [2] *sequebatur* Deo, *postea deletum.*

castitatis, ut et beatae Agneti devotum prae aliis parvitatis suae impendebat obsequium, qui[1] tanto suo spiritui erat acceptior, quanto carnem et mundum vicerat prae aliis tenerior in aetate. Morisque ei erat virginis antiphonam bis vel ter decantare cottidie, quasi illi congratulans, in qua ipsa eadem de carnis triumphasse spurcitiis gloriatur. At cum illam pronuntiaret clausulam : *Et carnis spurcitias immaculato calle transivi*, quia et hoc ipsum Dominus concesserat servo suo. totum resolutum in lacrimas ita virgo decantantis ad se trahebat spiritum, ut iam moribundo de corpore secum velle videretur deducere sibi in Domino perpetuo
* f. 62v. sociandum; perfecissetque virgo de viro quod coeperat, si non * ipse cautior praefatae usum antiphonae quam citius relaxasset. Innotuitque per spiritum sanctimoniali cuidam feminae talis viri sancti futura migratio; quem omnino precibus ante Deum in hac vita retinere non poterat, nisi prius desiderium illius, quod nimis incaluerat, migrandi tepesceret a fervore. Vix autem illo tempore, immo nusquam, lacrimas ipse cohibere poterat, si quis coram cantans vel colloquens mentionem faceret de aeternis; nec copia lacrimarum poterat interrumpi, nisi qui hoc protulerat, digitum quantocius[2] supponeret ori suo. Cum vero illi quasi exprobrans ego ipse colloquerer super hoc, multosque murmurare asserens, cur homo a femina se sineret evocari, homo ille, scilicet qui sic sexum horrebat femineum, sic subridens ait : *Nemo sanae mentis, fili mi, quidquam turpe vel carneum poterit suspicari, si talis infantia, tam casta virginitas tam senem, tam decrepitum venerit excitare.*

[XII.] Anno autem vitae ipsius paenultimo, Hugo ille, de quo tam multa scripsimus, eidem per visum apparuit spiritali quodam nutu innuens, quatinus a vita carnis vellet decedere, et migrandi ad Dominum solito ferventius ampliaret desiderium; nam ipsius votis divinam clementiam in omnibus annuere promittebat. Quia vero votum hoc viro Dei nequibat immittere nec mutare propositum, iterato ad ipsum, sicut prius, coram eo astitit cum multorum turba spirituum; quos licet ulterius non tenerent loca poenalia, quod tamen plus cruciat, adhuc sui, nisi eo duce, faciem videre non poterant Creatoris; portansque ipse pontifex textum evangelicum, sub divini protestatione eloquii viro Dei pronuntiat neque se neque suos socios, quamvis cruciatibus plenarie iam exemptos, intrare tamen regna absque eo
* f. 63r. posse caelestia, sed neque, quod * est summa felicitas, Trinitatis perfrui visione; et ideo, ut eorum consummaret gaudium, non debere ipsum amplius hic morari. Referente autem eo mihi, quod viderat, ego tamquam impatiens et ipsi male gratus pontifici, sic respondi : *Quae aut qualis est, mi pater, illius Hugonis imperfecta caritas, qui saluti sic et paci, quae per te*[3] *cottidie hic agitur, invidet proximorum, cum suae saluti, sicut mihi pronuntias, provide sit consultum. Neque enim velle videtur salvari proximum, dum suo tantummodo in hac parte sit desiderio satisfactum.* — *Noli*, ait, *fili mi, noli ista dicere; neque enim comprehendisse se aliquid arbitratur, nisi prius, quod sibi deesse conqueritur, quoquomodo assequi mereatur.* Id ipsum autem mihi longe ante vir sanctus praedixerat, cum inter loquendum

[1] *sic; cfr. supra p. 222, lin. 28; p. 263, lin. 32.* — [2] *add. m. pr. in marg.* — [3] (per te) parte *cod.*

sermo de ipso incidisset pontifice, *Perfectam*, inquiens, *usquequo migravero, requiem obtinere non poterit, et ideo cum multis aliis, pro quibus mihi Dominum rogare concessum est, diem mei transitus anxie praestolatur. Sciunt enim veraciter, cum ego migravero, se plenam accipere gloriae portionem. Spero quidem ex pietate Domini quod, cum rebus humanis exemptus fuero, eorum, quos in carne cognoveram et quibus post mortem verae compassionis me pia coniunxit oratio, ascendentem ad Dominum plurima processio subsequetur.* Quod et factum est. Nam cum migrasset a saeculo, sicut cuidam personae videre donatum est, trecentarum animarum numerum a locis educens poenalibus, una cum praefato pontifice in caeli palatium dux ipse praevius introduxit, precum suarum Domino fructum
satis centesimum repraesentans, et ob eius meritum cunctis adhuc in purgatorio Matth. 13, 8.
remorantibus, quos nondum a culpis sua poena purgaverat, cuiuslibet generis
poena subtracta est die illa. Paululum igitur transgressum ex occasione * mate- * f. 63v.
riam vir Dei me revocat, ut de eo libro inseram, quae supersunt. Qui sciens praedictam [1] opportunitatem [2] pontificis, filiorumque adhuc in carne degentium plus timens periculo, moram in hoc tempore et exitum in futuro ei, cui serviebat, Altissimo commendavit. Suorum ergo pauperum Dominus superatus lacrimis, voto pontificis ad praesens parere non voluit; et quia multorum preces exaudire necesse est, multis pulsatus precibus, servi sui retardavit exitum anno uno. Dixerat etiam mihi homo Dei, quod illo tempore praesulis in eum ita praevaluisset importunitas, si deprecantium detentus filiorum lacrimis non fuisset. Ita enim, cum celebraret, coeperat deficere, ut die uno celebrare desierit, quia paene omnis ei subtrahebatur suavitatis gratia, per quam solo corpore et spiritu erat solitus vegetari.

[XIII.] Linguam meam tenet defectio pro defectu materiae coactam ipsi modo Iob. 29, 10.
gutturi adhaerere. Quid ergo facturus sum? Certe, licet balbutiens, reticere non potero, quod mihi certissimo donatum est intueri. Siquidem usque modo viri Dei prosecutus materiam, quem viventem dilexeram, prosequar et in morte, quia caritas non excedit, nec in morte quidem. Ergo ille mortuus est. Quis nisi mentis inops hoc praesumat dicere, cum ad vitam de funere, de labore ad requiem, de virtute ad gloriam feliciter hodie sit translatus? An non magis vivit, qui cum Christo vivere comprobatur? Certe, quoad vixit, currebamus pariter, quamquam diverso
genere. Nam et ille constitutus in stadio, veritate et opere currebat ad bravium, I Cor. 9, 24.
ego vero cursus illius modum circuiens, suorum virtutes investigabam operum, mandans illa sedule proximis in exemplum. Nunc meus labor desiit; nam cursor
velocissimus, completo cursu stadii, suae * vocationis bravium apprehendit. Cursus * f. 64r. Phil. 3, 14.
vero sui consummatio talis fuit. Venerunt ad eum duo ex ipsius discipulis, quibus, II Tim. 4, 7.
etsi diverso modo, dono tamen uno, migrationis illius tempus innotuit; et id ipsum in proximo viro Dei pronuntiant imminere. Quibus ipse libens assensum praebuit; nam et ipse occasum suum praecognoverat sub hac forma. Raptus in spiritu sacro se vidit altari celebraturum assistere; sed altaris latera visa sunt comminui, et ipsius medium propemodum decidens casui propinquabat. Paulo

[1] praedicta *ante corr.* — [2] *forsan corrigendum :* importunitatem.

post itaque me vocans per nuntium, me, inquam, quem inter suos dignatione sua
voluit esse carissimum, quod vidit et visum rettulit, referensque mihi omne gau-
dium sustulit, et lacrimas mihi perpetuas intulit et maerorem. Sciscitanti namque,
quidnam illa significaret visio, quidve protenderet laterum illius visa confractio, sic
respondit: *Cum ex gratia salutaris hostiae, cui totus inhaeseram, hactenus vita mea*
visa sit dependere, ita quod non solum robur mei spiritus, immo et proprii iuventutem
virtute sua totius corporis renovabat, ut firmatus ea, etiamsi umbrae mortis ambu-
Ps. 22, 4. *larem in medio, securus incederem sine morte, nunc suam, Domino sic volente, alme*
retrahente gratiam, iam totus deficio et revera illius arae infringuntur latera, quae
sunt corpus meum et anima; omnis enim corporis et animae mihi virtus adimitur,
dum robur illud gratiae subtrahitur, qua vivebam. Sublataque tali modo a me ipsa
ad praesens gratia, legionem illam daemonum iam reverti praesentio et in meum
fremere grassarique interitum, cuius fuit antiquitus propter fidem castitatis in me
nequitia concitata. At cum me celebrare non videris, tunc scito mortem esse in
Matth. 24, 33. *ianuis, statimque, quod supererat altaris, infringetur medium; hoc est agitatum*
* f. 64v. *daemoniis, Domino me vocante, corpus meum * omnino deficiet, non quod mihi pars*
adversa praevaleat, sed ut me probet martyrem par poena martyrii et mortis
identitas, quae beatam Odiliam in gloriam sublimavit. Merito quidem mors
eadem et mortis genus nos simile sociabit, ut morte non dispari glorificantes Domi-
num, honoris et gloriae non dispar, sed similis, coronet felicitas, quos viventes fidei
una iunxit dilectio, constantesque in praelio una fides tenuit, virtusque non dissi-
milis, sed eadem gratia confirmavit. Et vere eadem. Quemadmodum enim beata
Odilia propter fidem constantiamque castitatis diu mirabiliterque vexata, virtute
tamen et gratia salutaris hostiae, cui tota adhaeserat, triumphatis tenebrarum prin-
cipibus, victoriae palmam in Christo semper obtinuit, et, sicut iam dictum est, cum,
filio corporaliter infirmante, iam non esset qui sibi salutare daret edulium, sic,
volente Domino, meruit evocari, ita ego tamquam verus et fidelis heres eius virtutis
et gratiae, cui datum est divinitus impolluto calle carnis transire spurcitias, et
eadem gratia, qua et mater, daemonum subiugare nequitias, quam citius celebrare
desiero, hic amplius non potero remorari, sed diro vallatus fatigatusque invisibili
daemonum certamine, victor tamen egrediar, ut sit palam omnibus quam vere,
quam fideliter semper, quoad viximus, tamquam membra capiti et verae viti
Ioh. 15, 5. *palmites coniuncti fuerimus et carne et spiritu hostiae salutari. Cuius quidem*
praesentia nostra est victoria et eius subtractio patens est privatio vitae nostrae.
Hucusque vir sanctus praefatam persecutus materiam, verbis suis finem imposuit;
et statim a divinis cessare incipiens, sicut praedixerat, inviolato manente spiritu,
deficiebat corpore, raptusque in spiritu et dealbatorum venerando vallatus col-
* f. 65r. legio, hoc in aure Domini tam suave canticum * permittitur, immo et compellitur
Ps. 62, 9. decantare: *Adhaesit anima mea post te, quia caro mea passa est pro te, Deus*
meus; tamquam diceret: Solvat inevitabile caro mortis debitum, et cinis, quod
Iob. 34, 15. suum est, revertatur in cinerem; ad auctorem omnium patremque amantissimum
iungendus perpetuo spiritus egrediens libere revertetur. Cumque sacro inunctus
oleo, ex divini frequentatione mysterii, sicut erat solitus, intolerabilem sui defectum

corporis relevare intenderet, rapitur in spiritu, volentique de prope astantem intrare basilicam, obseratur aditus, clausuraque perpetua firmato ostiolo prohibetur ingredi, et, ne ultra celebret, omnis illi auctoritas subtrahitur et facultas. Reversusque ad nos, volentes ut cibi quidquam sumeret : *Creditis*, inquit, *in Deum, et verbis meis* [Ioh. 14, 1.] *credite; cibum ultra non capiam, nam gustanti iam et videnti, suavis mihi Dominus promissas a saeculo suas ipse delicias praeparavit.* Volentibusque ut nobis intenderet, *Sinite*, ait, *sinite; meam mihi requiem potius permittite contemplari. Quod et si quid mihi praestare nitimini, daemonum nequitias, qui frustra conveniunt, precibus assiduis propulsate.* Itum est ab aliquibus et oratum, et victis fugatisque daemoniis, pacificantur omnia, et completis omnibus, mortis huius posito corpore, spiritus viri Dei liber egreditur, exsultatque in Domino, quod mole levatus corporea, totus pergit in Deum, et adhaerens ei, cui vere et sancte servierat, unus fit cum illo spiritus in aeternum.

Anno igitur incarnati verbi M°CC° primo (1), indictione XIIII[a], vir beatus diem clausit ultimam in sexta feria, die plus de media, sole scilicet vergente ad vesperam, quando et pro salute mundi crucifixus sol iustitiae in mortis se * caliginem passus [* f. 65v] est obscurari. Transiit autem anno vitae suae LV°, sacerdotii quoque tricesimo, mensis augusti die XXX[a] (2), quem festis iunxere suis Felix et Adauctus, cum quibus est felix factus, adauctus eis. Ad cuius exsequias totius civitatis convenit ecclesia, monachorumque et virginum multitudo maxima, quos viri sancti vita docuerat et eius institutio divinae voluntarios subiecerat servituti[1]. Paratisque custodibus, prudenter sibi cavit ecclesia, ne forte qui convenerunt monachi clam sacrum corpus pio furto surriperent et tanto patre suam Legiam defraudarent. Expletoque sollemniter in crastinum divinorum officio, lacrimas immiscens vocibus ad locum usque sepulchri sanctum patrem turba canora prosequitur, apertaque urna, quam in sua basilica secus aram beati Aegidii iam pridem ipse paraverat, illic una cum matre reconditur, ut, quos in carne positos amoris et gratiae coniunxit identitas, solutos in cinerem locus dispar non dividat, post dierum numerum in gloria surrecturos, cum eos ex[2] pulvere per tubam novissimam venerit excitare, paratus [I Cor. 15, 43. Ibid. 15, 52.] ad praemium portionis duplicis, qui nunc eis simplicem largiri dignatus est, Iesus Christus dominus noster.

Haec nos, largiente Domino, in duobus libris transcurrisse sufficiat. Nam cum subsequentem seriem lectionis breviter exponendo comprimere non possumus, libri tertii necesse est principio reservemus, ut quo vel ad modicum lectio intermittitur, eo certe discipulus ad legendum ferventior revertatur, invitatus ab eo, qui laborantes adiuvat et oneratos reficit, Iesus Christus dominus noster, qui cum [Matth. 11, 28.] Patre * et Spiritu sancto vivit et regnat Deus benedictus per omnia saecula saeculorum. Amen. [* f. 66r.]

[1] servienti *cod.* — [2] *supra ras.*

(1) Immo 1241. Vide supra p. 198 et p. 226, not. 3; cfr. etiam notam mox sequentem. — (2) Reapse anno 1241 dies trigesima augusti incidebat in feriam sextam.

BULLETIN

DES PUBLICATIONS HAGIOGRAPHIQUES

N. B. Les ouvrages marqués d'un astérisque ont été envoyés à la rédaction.

Au commencement de juillet, a paru la première partie du tome II de nos *Acta Sanctorum Novembris*. Elle contient les notices des saints du 3 novembre qui n'avaient pu trouver place au tome I[er], et celles des saints du 4 novembre, à l'exception de S. Charles, dont les actes rempliront la seconde partie de ce tome. En tête du volume, se trouve l'édition critique du martyrologe hiéronymien, préparée par M. le commandeur J.-B. de Rossi et M. l'abbé Louis Duchesne ; à la fin, les Actes de S. Wolfgang, qui n'avaient pas été publiés dans le tome XIII d'octobre.

Il y a eu l'an dernier 250 ans que Bollandus faisait paraître, en 1643, le premier volume des *Acta Sanctorum*. Nous l'avouons avec un peu de confusion, ce jubilé a passé complètement inaperçu chez ses successeurs, et il leur a dû être rappelé par un protestant, M. le D[r] Karl Geiger, de Tubingue (1). A l'occasion de ce jubilé, M. Geiger s'est donné le plaisir d'une promenade à travers la collection bollandienne. Il résume ses impressions dans l'énoncé de la proposition suivante : Aucune faculté universitaire, nulle catégorie de savants, ne peut négliger les *Acta Sanctorum*; les théologiens, les philosophes, les juristes, les médecins, bref tout ce qui étudie et a étudié aux universités allemandes, peut puiser à cette source quelque utilité, quelque profit.

Cette proposition, M. Geiger la développe longuement. Mais après avoir lu l'énoncé de sa thèse, on demeure stupéfait de la singularité des preuves apportées. Ainsi, le grand avantage que M. Geiger promet aux théologiens, aux philosophes et aux historiens, se restreint aux éléments mythologiques, qui abondent, d'après lui, dans les Actes des Saints. Les juristes apprendront par les Actes de S. Hyacinthe (tom. III d'août) quelles choses étonnantes des témoins peuvent affirmer sous serment. C'est M. Geiger qui parle. Aux médecins, M. Geiger recommande, d'un ton goguenard, d'étudier la vie de ceux qu'il appelle leurs " concurrents célestes ", et prétend que les *Acta* leur sont indispensables pour écrire un des chapitres les plus intéressants de leurs études : L'Hystérie dans l'histoire.

(1) * *Aus der Welt der "Acta Sanctorum "*, dans Deutsch-evangelische Blaetter, XVIII Jahrgang (1893), p. 573-96.

En somme, si l'intention de M. Geiger a été d'être aimable envers l'entreprise des *Acta Sanctorum*, il faut bien avouer qu'il exprime cette intention en termes étranges. Relevons encore l'assertion, aussi peu respectueuse qu'inexacte, par laquelle il déclare que toute la politique du Saint-Siège, dans la canonisation des saints, consiste à satisfaire tour à tour les divers ordres religieux, en leur accordant un nouveau saint, quelquefois bien inconnu, et dont l'histoire, à en croire M. Geiger, offre des détails absurdes. Il donne pour exemple la dissection du cœur et du foie de Ste Claire de Montefalco, faite après sa mort par ses consœurs, qui, à leur grande stupeur, trouvèrent dans le cœur les instruments de la passion du Sauveur, et dans le foie trois balles, symbole de la Sainte Trinité. A propos de cette légende, M. Geiger se livre à de faciles plaisanteries.

Assurément, il est permis de ne pas prendre au pied de la lettre tout ce que renferment les Actes des Saints. Nos prédécesseurs et nous, nous avons du reste maintefois hautement déclaré et prouvé que certains récits, voire des pièces entières, ou sont tout à fait légendaires, ou du moins ne présentent pas un caractère historique suffisamment sûr. Mais des esprits sérieux, des savants très indépendants, des critiques fort peu catholiques ont souvent trouvé dans les documents hagiographiques autre chose que matière à raillerie. Même M. Renan, que M. Geiger invoque à propos de Christine l'Admirable, aurait, nous en sommes certain, désavoué le ton et les procédés du collaborateur des *Deutsch-evangelische Blätter*. M. Geiger n'a vu, dans sa promenade à travers les *Acta Sanctorum*, que des choses drôles. D'autres, plus sérieux que lui, ont vu encore autre chose. A côté des deux ou trois textes plus ou moins étranges, qui ont attiré l'attention de ce singulier panégyriste de notre œuvre, il eût été facile, il eût été plus loyal aussi, de remarquer, dans les milliers de textes publiés par les bollandistes, un nombre considérable de pièces vraiment historiques, un nombre plus grand encore, où il y a à la fois et à prendre et à laisser.

M. le chanoine Ulysse Chevalier ne se lasse pas de rendre service aux travailleurs. Son *Répertoire des sources historiques du moyen âge* est devenu un outil classique; mais jusqu'ici nous n'en avions que la première partie, consacrée à la *Bio-bibliographie*. Voici la seconde qui commence à paraître (1); elle porte comme sous-titre *Topo-bibliographie*, terme qui dit trop peu, mais que l'auteur a adopté " faute d'un terme plus compréhensif pour désigner tout ce qui n'est pas personnage ". Le nouveau volume offrira " la bibliographie de l'universalité des sujets sous lesquels peut être classée alphabétiquement l'histoire médiévale dans ses moindres détails ". C'est tout simplement immense, et malgré les lacunes inévitables, que l'auteur prévoit tout le premier, nous avons lieu d'espérer que la Topo-bibliographie rendra autant de services que la Bio-bibliographie. C'est tout dire.

(1) * Premier fascicule. Lettres A, B. Montbéliard, Paul Hoffmann, 1894, gr. 8°, 528 col.

Le petit ouvrage du D[r] Hoeffner sur les saints dans l'art chrétien (1) ne s'adresse pas aux hagiographes. C'est un guide offert aux visiteurs des églises et des galeries, qui veulent s'instruire en contemplant les tableaux des maîtres religieux. Il résume en quelques mots l'histoire des principaux saints, disposés par ordre alphabétique; une table des attributs les plus usités renvoie à cette première série et permet de reconnaître les saints par leur caractéristique. L'auteur croit que la différence entre le titre de *saint* et celui de *bienheureux* est prise de ce que les uns entrent au ciel aussitôt après leur mort, tandis que les autres passent par le purgatoire. Jamais l'Église n'a prétendu posséder le critère d'une pareille distinction. Au sens officiel, les mots *beatus* et *sanctus* ne désignent que les deux degrés du culte autorisé.

Beaucoup de nos lecteurs connaissent les travaux de MM. Rohault de Fleury sur les *Instruments de la Passion*, les *Évangiles*, la *sainte Vierge*, la *Messe;* ils savent avec quel zèle et quelle piété ils ont recueilli, dessiné et commenté les monuments qui se rapportent à ces différents sujets. Voici le premier volume d'une publication du même genre, complétant la série précédente et se rattachant directement à l'hagiographie. Après les instruments de la liturgie, ce sont *Les Saints de la Messe* (2), c'est-à-dire ceux qui sont nommés dans le canon. L'auteur a reproduit leurs monuments par des gravures à l'eau-forte, qu'il a accompagnées de commentaires. Les lignes suivantes de l'introduction font connaître le plan suivi dans la monographie de chaque saint. " Nous commencerons par rappeler en „ quelques lignes biographiques les principaux souvenirs de sa vie; puis nous „ exposerons les monuments de son culte, en commençant par Rome ou la ville „ témoin de son martyre, continuant l'exploration par la France, l'Angleterre, „ l'Allemagne et les autres pays. Chaque monument aura son histoire, sa descri- „ ption, et lorsque son importance l'exigera, un sommaire des dates; à la fin des „ articles principaux, nous donnerons un coup-d'œil à la chronologie, qu'il nous „ est impossible de suivre dans notre exploration... „ Sauf une notice sur Sainte-Marie-Majeure, tout le premier volume — la collection en comprendra cinq — est consacré à **S[te] Cécile** et à **S[te] Agnès**. L'hagiographe n'y trouvera rien de neuf sur la légende ou l'histoire des deux saintes; mais pour le développement de leur culte à travers les âges, nous avons ici un répertoire d'une richesse peu commune. Une plus grande exactitude dans les références bibliographiques et la transcription des titres dans leur langue originale augmenteraient la valeur scientifique de l'ouvrage. Ce perfectionnement pourra être introduit dans les volumes suivants.

En 1888, M. Guidi a publié une recension copte des Actes des **SS. Pierre et Paul**, d'après des ms. du Musée Borgia (3). Trois ans plus tard, M. Golénischeff

(1) * *Die Heiligen in der christlichen Kunst*. Leipzig, Breitkopf und Härtel, 1893, 8°, VI-202 pp. — (2) * *Les Saints de la messe et leurs monuments*, par Ch. Rohault de Fleury. Études continuées par son fils. Paris, Librairies-imprimeries réunies, 1893, t. I, pp. 226, planches 109. — (3) *Frammenti Copti*. Roma, 1888.

trouvait à Louxor, en Égypte, dix-neuf feuilles de papyrus contenant les mêmes textes. Ces feuillets, très maltraités par le temps, ont été remis en ordre et récemment édités par M. O. von Lemm (1).

Le savant éditeur a eu fort à faire pour mettre ces fragments sur pied. Mais il a heureusement surmonté les difficultés de l'entreprise et nous donne une restitution très satisfaisante des papyrus de Louxor. En reproduisant en note les variantes de l'édition de M. Guidi, les textes grecs et latins publiés par Lipsius (2), et la traduction anglaise, faite par M. Malan (3), d'une recension éthiopienne, M. von Lemm a fourni tous les éléments d'une étude comparative sur les Actes apocryphes des SS. Pierre et Paul.

Des notes philologiques et historiques d'un grand intérêt accompagnent la publication de ces textes. On nous permettra d'insister sur l'une d'entre elles, parce qu'elle donne l'occasion d'une rectification à faire dans un texte publié par les *Analecta Bollandiana*. M. von Lemm est amené à étudier le mot ἑρμητάριον, qui désigne, en général, une colonne à laquelle on attachait les martyrs pour leur infliger divers supplices. Nous ne saurions admettre que ce mot vient de ἕρμα " appui, soutien ". Avec Du Cange (4), Reiske (5) et Hase (6), nous croyons que ce mot vient de ἑρμαῖ " statues de Mercure, que l'on plaçait près des temples ou à l'entrée des carrefours ". M. von Lemm pense en outre que ce mot se rencontre seulement dans un passage de S. Athanase (7). Mais Reiske et Hase l'ont signalé en outre dans les Actes des SS. Ciryce et Julitte sous la forme un peu défigurée de ἀρμεντάριον (8), qu'ils proposent de corriger en ἑρμητάριον. Quoi qu'il en soit, le passage de ces Actes κελεύει ἀρμενταρίῳ ἀναρτηθεῖσαν εὐτόνως ξέεσθαι (9) a été mal traduit dans les *Analecta*, où on en a fait un nom propre: *praecipit Armentario, ut suspensa ipsa valide dilanietur* (10). Pourtant Combefis avait déjà donné la traduction exacte : *sublimis e ligno seu equuleo* (11).

M. l'abbé J. Viteau a choisi un intéressant sujet de dissertation latine : le livre d'Eusèbe *Des Martyrs de Palestine*, dans sa double forme (12), celle que nous trouvons ordinairement à la fin du huitième livre de l'*Histoire ecclésiastique*, et la recension plus longue, dont nous avons la traduction syriaque publiée par Cureton. L'auteur attribue l'une et l'autre à Eusèbe. Il s'occupe d'abord de la recension grecque, dont il cherche à déterminer le lien avec l'*Histoire ecclésiastique*. C'est

(1) *Bulletin de l'Académie impériale des sciences de Saint-Pétersbourg*, nouvelle série III (XXXV), n° 2, p. 233 sqq. — (2) *Acta apostolorum apocrypha*, 1891. — (3) *The conflicts of the holy Apostles*, 1871. — (4) *Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis*, p. 436. — (5) *Comment. ad Const. Porphyrogen. caerim. aul. Byz.*, 1785, t. II, p. 71 c; édit. Bonn., t. II, p. 225. — (6) Leo diac., *PG.*, t. CXVII, p. 679, not. 35. — (7) *Ep. ad solit.*, *PG.*, t. XXV, p. 640. — (8) *Anal. Boll.*, t. I, pp. 198, 205. — (9) Cfr. Mai, *Nov. Bibl. Patr.*, t. IV, p. 418, qui donne une meilleure leçon ἐντόνως ξέεσθαι. — (10) *Anal. Boll.*, t. I, p. 205. — (11) *Illustr. Christi martyrum lecti triumphi*, p. 233. Cfr. *Act. SS.*, Iun. t. III, p. 27, num. 6. — (12) * *De Eusebii Caesariensis duplici opusculo* Περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυρησάντων. Paris, Bouillon, 1893, 8°, pp. 94.

un ouvrage absolument distinct, que les copistes ont introduit à la place qu'il occupe dans nos éditions, peut-être à cause de la similitude des matières. Il n'y a pas passé tout entier : la « palinodie » de Galère, qui en faisait partie, a été supprimée pour éviter une répétition ; le supplément du livre VIII est un fragment qui appartient en réalité au livre des martyrs de Palestine.

„ Post mortem, vultus et reliqua omnia Patris visa adhuc
„ spirare nescio quam sanctitatem, adeo ut essent homines
„ P. Rectori molestissimi, in resculis petendis, quibus Pater
„ vivus fuisset usus. Nec potuit ante septimam noctis sepe-
„ liri ob concursum maximum populi et studia applicantium
„ rosaria sua ad funus et cadaver, quod in domestico sacello
„ situm, tres horas, et in urbana Parochia quattuor, exponi
„ in ornatu sacerdotali videndum debuit. Cum autem nostri
„ nihil minus futurum crederent, Praepositus urbis S. Theo-
„ logiae doctor, repente conscenso suggestu, concionem de
„ virtutibus P. Petri ad multitudinem utriusque sexus paene
„ incredibilem admirabili prorsus applausu habuit. Sepultus
„ porro est ante summum altare summi templi quam hono-
„ rificentissime, et tres germani nobiles patritii Friburgenses
„ marmor 10 pedum in longitudinem cum hac inscriptione
„ sepulcro imposuerunt. MONUMENTUM VENERANDI
„ PATRIS NOSTRI PETRI CANISII SOCIETATIS IESU
„ THEOLOGI. Fitque praeterea a magnatibus Patris epita-
„ phium, quod suffigetur apud sepulcrum, in quo apparebit
„ vera ipsius et genuina imago, nec ista nos, quia fiunt ab
„ externis primariisque viris, impedire iam possumus. „

Ita, mi Reinere, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Nos fervide imitemur exemplum, ut similem exitum inveniamus. Gratissimum fuit de humanitate in commendatos advenas. Vale, et ex me fac humanissime salutem consultissimo D. Hartio (1) et D. Doctori Weno (2)

(1) *Jean Haerts* fut le premier mari de Catherine Canis, citée dans les deux notes précédentes. Il est sans doute ici question d'un frère de Haerts, habitant Bruxelles. — (2) Ce docteur *Wenus* doit être le chevalier Henri Uwens, conseiller à Malines, et chancelier de Gueldre et de Zutphen. Il épousa Clémence Asseliers et était fils de Laurent Uwens, qui épousa Élisabeth Canis, sœur consanguine du B. Pierre Canisius. Le père de celui-ci, marié deux fois, avait eu d'*Egidia van Houweningen*, deux enfants : *Pierre* et *Wendeline;* et de sa seconde femme, *Wendeline van den Bergh*, huit enfants, savoir : Thierry, Égidia, Gérard, Othon, Gisbert, Gérardine, Élisabeth et Jacqueline. Ces notes sont empruntées au *Nederlandsch Geslacht-Stam- en Wapenboek*, door Abraham Ferweda en Jacobus Kok. Amsterdam, 1785, 2e édition.

cognatis. Monasterii a. d. IIX kal. Iunias A°. D. duodesexcentesimo.

Tuus ex animo totus in Christo.

IACOBUS RIJSWICH.

(A tergo :) Consultissimo ornatissimoque Domino Reinero
Riswichio U. I.
Licentiato patrueli carissimo
Bruxellam in
Brabantia.

L. S.

VITA AC LEGENDA

BEATI IOACHIMI SENENSIS

ORDINIS SERVORUM SANCTAE MARIAE VIRGINIS

AUCTORE COAEVO

Fr. CHRISTOPHORO DE PARMA (?)

EDIDIT

Fr. PEREGRINUS MARIA SOULIER

EIUSDEM ORDINIS

De B. Ioachimo Piccolomini Senensi egerunt Papebrochius et Henschenius in *Actis Sanctorum*, tomo II Aprilis, pp. 454-465, ubi eiusdem Vitam, a F. Paulo Attavanti inter annos 1461 et 1486 conscriptam, cum solitis annotationibus ediderunt. Saeculo autem proxime elapso, duae repertae sunt antiquiores Legendae, medio circiter saeculo decimo quarto compositae, altera ab auctore suppari, altera ab auctore coaevo. Prior, cum aliorum beatorum Ordinis Legendis scripta a quodam Fr. Nicolao Pistoriensi, de rebus Ordinis apprime edocto, cui eos qui B. Ioachimum cognoverant, interrogare licuit, a R. P. Augustino Morini primum anno 1862 seiunctim (1), dein anno 1883 cum aliis Legendis (2) publici iuris facta est. Posterior autem, quam nunc daturi sumus a fratre quodam Ordinis Servorum, qui cum B. Ioachimo conversatus fuerat, concinnata, nondum, quod sciamus, edita est. Cuius ab eodem R. P. Morini anno 1882 notitiam accepimus, qui ipse ex Revmo P. Andrea Corrado, tunc Priore Sancti Marcelli de Urbe, nunc vero totius Ordinis Priore Generali, eam cognoverat. Reperta est in quodam codice chartaceo, signato n. 28, in quo anno 1726 cura P. Callixti Palombella, rerum Ordinis indagatoris indefessi, descripta fuerat ex codice manuscripto membraneo saeculi decimi quarti, qui tunc in conventu Servorum Sancti Iacobi Fulginei asservabatur, sed hodie non amplius invenitur. De hoc codice et apographo plura dicemus, cum

(1) *Leggenda del B. Giovacchino Piccolomini e B. Francesco Patrizi*, Firenze, in-8°. — (2) *Ricordi del P. Niccolò Mati dei Servi di Maria*, con note, documenti e osservazioni, per fra Agostino Morini, Roma, 1883, in-8°, pagg. 173. — Istae Memoriae Legendis beatorum Ordinis Servorum, magna pietate et ingenuo modo scriptis, praecipue constant. Eas conficiebat auctor, prout ferebat occasio; quaedam anno 1334, et forte antea, scriptae sunt; ultimae vero anno 1384.

B. Francisci Legendam dabimus, ad quam praecipue referuntur. Satis sit hic dicere P. Palombella libellum ad amussim exscripsisse.

De auctore Legendae B. Ioachimi paucissima novimus. Ex ipsius textu hoc solum eruitur illum fuisse fratrem Ordinis Servorum, cum passim de fratribus Ordinis locutus his verbis *frater noster* utatur (1); insuper fuisse Beato coaevum, quin etiam cum eo conversatum fuisse, cum testatur se vidisse miraculum avium quae *se ab eo capi permittebant* (2). Sed cum B. Ioachimi Legenda una cum Legenda B. Francisci in codice originali reperta sit, ac easdem intrinsecas compositionis, sermonis et indolis auctoris notas prae se ferre videatur, forsan licebit eam adscribere cuidam fratri Christophoro de Parma, qui B. Francisci Legendam scripsit et de quo dicemus cum de B. Francisco agemus.

Tempus autem quo nostra Legenda composita fuit, quamquam certo definiri nequit, inter annos 1330 et 1350 artandum est. Auctor enim de quodam fratre loquitur, quem beatus adhuc vivus sanavit et qui ultra annos triginta supervixit (3). Cum autem haec sanatio non multo ante mortem beati, qui anno 1305 obiit, contigisse videatur, inde anni saltem 1333-1335 indicantur. Rursus, inter miracula post beati mortem patrata, refertur sanatio cuiusdam Lippi Florentini, qui supervixit *ultra viginti annos* (4). Haec autem sanatio, si miracula fere suo ordine narrentur, quod vero simile est, aliquot annis post annum 1310, quo miracula ceperunt initium, locum habuit, cum inter ultima referatur. Proinde aliquot saltem annis post annum 1330 scribebat auctor.

Si admittimus, quod sua probabilitate non caret, B. Ioachimi eodem ac B. Francisci Legendam tempore scriptam fuisse, post annum 1348 ipsa composita fuit, ut, cum de hac Legenda tractaturi sumus, statuemus.

Quicquid id est, antiquissima inter Legendas B. Ioachimi haec nostra est. Verosimile est aliam exstitisse longiorem. circa idem tempus vel potius paulo post conscriptam. Sic enim P. Nicolaus Pistoriensis, de quo supra, suam inscribit Legendam : *Storia del nostro beato Ioacchino di Siena in leggenda breve* (5); quae verba non obscure innuunt ipsum Legendam suam ex *historia* longiori contraxisse, quae tamen non est nostra, quia plura refert Nicolaus, quae in nostra non inveniuntur. Pariter Attavanti non pauca habet quae ostendunt illum suam beati Vitam ex auctore coaevo desumpsisse, qui tamen ob eandem rationem non est noster. Sic verbi gratia, sub fine capitis II : *Beatus vero frater Bernardus, quondam Senensis episcopus* (6). Ita nempe loqueretur aliquis qui hunc episcopum vel eius successorem cognovisset. Rursus medio capite III legitur : *Oculis nostris visu mirabile!* (7) et sub fine capitis IV : *Quin bruta animalia... vidimus ei obtemperare* (8); quae verba testem oculatum non obscure indicant. Ac tandem paulo ante finem capitis V : *Tunc fratres... eius felicem vitam nequaquam digerendam decrevere; sed cum infinitae sapientiae Deo visum est, pauca de eo in hominum memoriam redacta sunt* (9); quae manifeste alludunt ad ea quae in Legenda nostra leguntur, n. 17, et

(1) *Infra*, n. 21.— (2) *Infra*, n. 8. — (3) *Ib.*, n. 7. — (4) *Ib.*, n. 24. — (5) *Ricordi*, p. 75. — (6) *Act. SS.*, Aprilis t. II, p. 458, n. 12. — (7) *Ibid.*, p. 459, n. 15. — (8) *Ibid.*, p. 461, n. 24. — (9) *Ibid.*, p. 462, n. 26.

ostendunt auctorem quem exscribebat Attavanti, paulo post nostrum scripsisse. Exsistentia huius *historiae*, ei qui Thomam de Verona (1507) (1), Anonymum anni 1532 (2), Poccianti (1567) (3) et Tavanti (1581) (4), attente legerit, fere certa videbitur.

De fide quam meretur auctor nostrae Legendae, non est quod multa dicamus. Cum enim B. Ioachimo coaevus fuerit ac cum ipso conversatus, de iis quae refert facillime certior fieri poterat eiusque in narranda ingenuitas omnem de eius sinceritate dubitationem tollit.

Nunc abs re non erit pauca quae in controversiam revocata sunt, scilicet de beati familia, de anno eius nativitatis et ingressus in Ordinem definire. Ac primo quidem de eius familia, saeculo decimo sexto invaluit opinio eum ad Pelacanorum gentem pertinuisse: ita Thomas, Anonymus, Poccianti, Tavanti, de quibus supra. Sed Nicolaus Pistoriensis, fere coaevus, eum clare asserit de celebri Piccolomineorum stirpe fuisse: cum loquitur: *Si chiamò nel secolo Chiaramonte, nome usato assai nella sua de Piccolomini casa famosa* (5). Revera non paucos invenimus inter Piccolomineos Chiaramontese nomen habuisse: nam ut alios omittamus, ita vocabatur unus ex beati patruis; filii enim Ranieri Rustichini erant Rinaldus, Rustichinus (pater beati), Chiaramontese et Fortarrigo (6). Exstitit alius Chiaramontese, antiquior isto, cuius filii Turchius et Ranierius comparent in instrumentis annorum 1235 et 1236 (7). Hoc nomen e contra non est Pelacanis usitatum. Insuper ex veneratione erga beatum videmus nomen Ioachimi inter Piccolomineos saepius usurpatum (8), nullo autem modo a Pelacanis. Tandem instrumentum professionis B. Ioachimi, cuius tenor a Patre Buondelmonti, in sua conventus Senensis historia ex eiusdem monumentis anno 1632 compilata (9), haec habet: *Ego frater Ioachimus, filius Rustichini Ranerii Rustichini de Senis, facio professionem* (10), etc. Hic autem Rustichinus certo erat ex Piccolomineis. Haud ignora-

(1) *Flos florum, Vita de Santi tradotte dal latino in volgare*, cod. 1470 bibliothecae Magliabechianae seu Nationalis Florentiae, ubi ad diem 8 februarii agitur *De santo Gioachino confessore.* Edita fuit a CANOLI, *Vita di beati Giovachino Piccolomini e Francesco Patrizi*, pp. 190-191. — (2) *Vita del beato Giovacchino Piccolomini Senese*, con note, documenti, osservazioni e bibliografia, per cura di Fr. Agostino MORINI. Firenze, 1863. — (3) *Chronicon rerum totius sacri Ordinis Servorum B. M. V.*, Florentiae, pp. 102-108, ubi narrantur gesta et miracula B. Ioachimi. — (4) *La Vita del beato Filippo di Benetii Fiorentino, dell' Ordine dei Servi della Beata Vergine.* Cod. nondum editus, asservatur Romae inter monumenta ad canonizationem S. Philippi Benitii spectantia. In fine continet Vitas beatorum et beatarum Ordinis Servorum, quas inter Vitam B. Ioachimi. — (5) *Ricordi*, p. 75. — (6) Ita instrumentum anni 1240/41, 17 ianuarii, in archivio publico Senensi, inter pergamenas hospitii Senensis. — (7) *Spoglio dei contratti dello Spedale della Scala*, t. I, pp. 144 et 162: in archivio publico Senensi. — (8) V. g. in archivio notariorum Senensium, sub n. 618 sunt *Imbreviature de Giovacchino d'Ambrogio Piccolomini*, notarii Senensis a. 1366-1399. — (9) *Storia del convento dei Servi di Maria*, codex signatus B. VII, 14, in bibliotheca publica Senensi. — (10) *Ibid.*, p. 23, ubi dicit originale in conventu tunc asservari. Hodie vero non invenitur, cum fere omnia conventus documenta perierint vel dispersa fuerint.

mus dubium de huius instrumenti authenticitate motum fuisse; sed nullam videmus seriam rationem cur de ea dubitandum sit.

Tempus nativitatis B. Ioachimi, eiusque ingressus in Ordinem Servorum, quamquam ab historicis non datur, certo deduci potest ex eo quod in eodem triginta tres annos vixit (1) eundemque tredecim annos natus (2) ingressus est. Cum autem certum sit eum feria sexta in Parasceve anni 1305 obiisse, ut omnes antiquae Legendae unanimiter referunt, et insuper confirmatur ex eo quod Nicolaus Pistoriensis et Thomas de Verona addunt eum die 16 aprilis mortuum esse, qui dies anno 1305 revera erat feria sexta in Parasceve, constat eum in Ordinem Servorum ineunte anno 1272 receptum fuisse, ac proinde natum circa principium anni 1259 vel finem anni 1258. Cetera, prout feret occasio, in decursu Legendae, elucidabimus.

1. Ioachinus, ex utroque parente nobili stirpe progenitus (3), de civitate Senensi exstitit oriundus. Hic, dum esset puerulus et ad scholas positus, beatam Dei Genetricem specialem devotam assumpsit, in tantum ut quicquid de domo parentum accipere occulte poterat, pro ipsius nomine, omnibus amore eius petentibus iugiter largiretur. Dum autem comestionis hora ad domum rediret et scalas domus adscenderet, per omnem gradum gloriosam Virginem salutabat, ita ut totiens Virginem salutaret quot per scalas gradus adscenderet. Et quia Dei planta in principio suam bonitatem ostendere incoepit, erat perfectissimae indolis puer, ita ut indiciis manifestis monstraret quod super omnia amaret honorem ipsius Virginis gloriosae, et iam quasi sanctus omnibus appareret, et quasi praesagium futurorum videntes dicebant : *Si vixerit infantulus iste, erit eximiae sanctitatis.*

2. Cum autem virgo sanctissimus iam XIII annum attigisset, beatam Virginem in somniis vidit, angelorum choris vallatam et ornatam habitu praefulgenti, seque vocantem et sibi dicentem : *Fili * dulcissime, veni ad me : cognovi enim quanto amore me diligas, idcirco te in meum obsequium perpetuo mancipavi.* Cum autem puer sanctus evigilaret a somno, ex tantae Virginis visione accensus, intrare Ordinem Servorum ipsius Virginis firmiter stabilivit. Quod carnales parentes cernentes et carnalia plus quam caelestia affectantes, eius felix * propositum impedire conati sunt et eum ad longinquas partes mittere disponebant, ut ibi aliquo tempore permaneret,

* *cod.* Filij.

* *cod.* felicem.

(1) Ita *Legenda*, n. 10; Nicolaus, *Ricordi*, p. 78; Borghesius; Thomas de Verona; Poccianti, p. 102; Tavanti. — (2) Ita Legenda, n. 2; Nicolaus, p. 75; Attavanti, Borghesius, Anonymus 1532, p. 14. — (3) Iam diximus patrem eius fuisse Rustichinum Ranieri, de celebri gente Piccolomini; mater vero secundum quosdam recentiores, v. g. GIGLI, *Diario Sanese*, erat ex Pelacanis. Quod forte causa fuit cur aliqui, ut supra notavimus, beatum Pelacanorum familiae adscripserint.

donec tale propositum ab eo cessaret. Quod ut comperit puer, Spiritu sancto repletus, mox ad locum fratrum Servorum Sanctae Mariae confugit, et intrandi Ordinem gratiam postulavit. Erat autem tunc in conventu Senensi illud praeclarissimum lumen, videlicet beatissimus confessor Philippus (1), qui ipsius Ordinis generalis erat, pater utique eximiae sanctitatis. A quo receptus, petivit ab eo quo vellet nomine nuncupari. Puer autem, devotione Virginis totaliter inflammatus, ob ipsius amorem Ioachinum se vocari petivit, ut nomen patris beatae Mariae assumens, ipsi semper et mente et corpore iungeretur. Nam prius in saeculo Clarmontensis vocabatur.

3. Igitur Ordinem ingressus, Dei famulus Ioachinus humilitati profundissimae se totaliter dedit, ita ut, nobilitate generis non obstante nec non et puerili aetate, quasi esset aetatis perfectae, omnes labores infimos et vilitatis officia facere affectabat. Compatiebatur enim afflictis, serviebat infirmis, et servitia vilissima quae aliorum stomachus abhorrebat, mente devotissima manu propria faciebat. Dilexit etiam oboedientiam supra modum, et ipsam cibum animae nuncupabat, iuxta verbum Salvatoris dicentis : *Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui in caelis est.* Cum autem quadam die, iubente beato Philippo, aliqui fratres laici terram de claustro suis humeris ferrent, supervenientibus quibusdam nobilibus una cum Bernardo (2), Dei gratia tunc Senensi episcopo, erubescentibus fratribus laicis, et dimissis cophinis recedentibus, iste beatissimus adulescens, qui non vocatus ad portandum pondus se iunxerat, solus remansit, et in eorum praesentia cophinum gestans tamdiu stetit, donec solus perficeret aliis imperata.

4. Deinde a beato Philippo Aretium (3) missus est, ibidem conventualiter permansurus. Et dum per annum integrum ibi fuisset, accidit ut per comitatum Aretii semel transiret una cum fratre Aqueisto (4) de Aretio, viro magnae famae; et nocte superveniente, inundante pluvia, in quodam hospitali recepti sunt. Quidam autem infirmus ibidem erat aegritudine valida et longa detentus. Quem ut beatus Ioachinus audivit prae dolore languentem, ait : *Frater, habe patientiam, quia haec tua infirmitas erit tuae salutis causa.* Qui dum

(1) S. Philippus de Benitiis, Florentinus, qui Ordinem Servorum B. M. annis 1267-1285 rexit. De quo vide *Acta SS.*, Augusti t. IV, pp. 655-719 et P. Soulier, *Vie de S. Philippe Bénizi*. 1886, in-8°, Berche et Tralin, Paris. — (2) Bernardus, electus episcopus Senensis die 24 maii 1273, mortuus anno 1281. Factum autem, de quo hic agitur, evenisse videtur anno 1274, occasione capituli generalis : hoc enim tempore aedificabatur ecclesia; Nicolaus autem dicit hunc terrae aggerem ante ecclesiam fuisse acervatum. — (3) *Arezzo* in Etruria, circiter 55 chiliometris Senis, orientem versus, distat. — (4) Nihil invenimus de hoc fratre *magnae famae*, quem pariter Attavanti, n. 14, *clarissimum virum* vocat.

diceret: *O bone frater, infirmitatem facilius est laudare quam ferre;* ait: *Et ego omnipotentem Deum, deprecor ut te ab hac infirmitate absolvat, et me famulum suum tali infirmitati supponat, a qua nisi per mortem absolvi non possim, ut iugiter patientiam Christi in corpore meo feram.* Qui mox de lectulo surgens, fuit perfectissime liberatus. Ipse autem morbo epileptico* ibi statim est percussus; quo toto tempore vitae suae supra modum gravatus, quasi coronam martyrii inde assumpsit. Hinc factum est ut in die Assumptionis beatae Mariae, cum in conventu Aretino subdiaconatus (1) fungeretur officio, coram omnibus fratribus ac praesente praefatae civitatis episcopo (2), dum sacratissimum Corpus dominicum levaretur, percussus morbo, dimisso cereo accenso quem manu gestabat, in terram corruit. Et ecce angelus Domini, ut pie putandum est, affuit, et cereum ipsum tamdiu rectum tenuit, donec per manus alterius tolleretur, et tamdiu rectus cereus accensus stetit, donec sacratissimum Corpus super altare collocaretur.

* *cod.* epilectico.

5. Cum autem fratres sui conventus Senensis audirent eum taliter infirmatum, obtenta licentia Generalis, pro ipso miserunt, ut in terra propria sibi melius serviretur. Dum vero ad conventum Senensem pervenisset, dum quadam die coram altari oraret, et ecce fratres quidam persistentes in choro ignem * super caput eius viderunt; et timentes ne de cereo vel de aliqua candela accensa super eum ignis descendisset, statim cucurrerunt ad ipsum. Et ecce, mirabile saeculis inauditum! ignis quasi in globum rotundum conversus, eis videntibus, sursum adscendit, atque ab eorum oculis mox disparuit. Tunc ipsi valde obstupefacti omnipotentem Deum laudaverunt (3). Quadam etiam die, dum cum aliis fratribus mensam hora comestionis intraret, eum in mensa morbus praedictus arripuit, et statim mensa quae non confixa erat, corruit cùm omnibus vasibus et utensilibus suis. Et ecce miraculum similiter inauditum: nec vas confractum est aliquod, nec effusa cibaria, nec de vino vel aqua aliquid distillavit. Et tunc fratres ipsum vere sanctissimum putaverunt. Quadam etiam vice, per carbonariam (4) quae sita est super foveas civitatis, tota die dicens

* *cod.* ingnem.

(1) Intellegendum non subdiaconatus, sed ceroferarii officium, ut ex sequentibus patet.— (2) NICOLAUS, *Ricordi*, p. 76, dicit hunc Ildebrandum fuisse, sed erravit. Beatus enim Ioachimus a S. Philippo Aretium missus est, ut auctor noster refert ac etiam Nicolaus; praeterea ab eo Senas revocatum esse addit Attavanti, n. 16. Ergo haec ante mensem augusti 1285, quo mortuus est S. Philippus, facta sunt, ac proinde non sub Ildebrando, sed sub famoso Guillelmo Ubertini, qui electus circa augustum 1248, occisus est die 11 iunii 1289 in pugna apud Campaldino. — (3) Simile factum paulo ante mortem beati contigisse narrat NICOLAUS, *Ricordi*, p. 77. — (4) Haec *carbonari* iuxta moenia intra civitatem, non longe distabat a conventu, cuius hortus ad eam usque se porrigebat.

psalmos deambulabat; et ibi incaute reclusus ab illo qui claves habebat, tota nocte remansit. Sed cum esset de mense decembris, nive tota nocte ningente, ipse flexis genibus et extensis in caelum manibus persistebat; et ex magno frigore genua ex congelatione in terra infixa nullo modo ad se trahere poterat, nec de terra consurgere. Facto autem mane, a fratribus inde erectus, surgens nil laesionis sensit.

6. Daemoniacus quidam erat qui tanta furia vexabatur, ut vix funibus posset teneri, sed veniente furia omnia discerpebat. A multis autem hominibus vix ad locum fratrum deductus, clamabat: *Non exeam pro aliquo vestrum.* Prior autem conventus, frater Adrianus nomine (1), qui cum pluribus fratribus praesens erat, beatum Ioachinum vocari fecit, et rogavit eum ut ex parte Dei daemoni imperaret. Ipse autem facere recusabat omnino, dicens: *Et ego peccator sum magnus.* Tandem, priore sibi imperante, ad ipsum accessit dicens: *Praecipio tibi, daemon, ex parte Dei, ut exeas et non vexes creaturam Dei.* Qui statim cum valido clamore discessit, et hominem quasi mortuum dereliquit; ac per horam in terra iacens, inde sanus et liber surrexit, nec daemon ultra ipsum vexavit.

7. Similiter quidam devotus (2) saecularis, nomine Pagnus (3), ex parte inferiorum totaliter erat confractus, ita ut intestina ad partem inferiorem quasi omnia descendissent. Qui cum ad eum venisset, ut pro eo deprecaretur rogavit; qui licet satis negaret, se ad talia indignum reputans, tamen precibus victus, locum infirmitatis signavit crucis salutifero signo, et eadem die praedictus Pagnus se liberatum invenit. Quidam etiam frater Ordinis nostri, religiosus utique bonus, nomine Andreas (4) de Castro plebis (5), a malo flanci saepius valde acerrime * vexabatur. Sed dum Senas aliquando casu veniret, et ibi eum ipsa infirmitas graviter molestaret, beatum Ioachinum rogavit, ut ipse oraret. Qui charitate et compassione motus, pro ipso oravit, et statim infirmitas eum dimisit, nec ulterius, cum ultra xxx annis vixisset, eum talis infirmitas molestavit. Insuper quaedam

* *cod.* acerime.

(1) Hic Fr. Adrianus prior fuit anno 1297, ut ex BUONDELMONTI, *Memorie*, etc. f. 96 constat. — (2) Devotus, i. e. donatus, commissus, conversus. Dicitur saecularis ut discernatur ab istis devotis seu donatis qui degebant in monasterio. — (3) In quodam instrumento publici archivii Senensis, ad diem 3 decembris 1298, apparet quidam Pagnus Bruni. Nescimus an is sit de quo hic agitur. — (4) In instrumento eiusdem archivii, die 18 ianuarii 1315 stilo Senensi (1316 aerae communis), nominatur quidam Fr. Andreas lector, et alius Andreas Seczi. Verosimile est priorem esse eundem. de quo hic loquitur auctor. Quidam Fr Andreas fuit prior annis 1316 et 1322, et Fr. Andreas Amadoris, idem probabiliter, anno 1326. (BUONDELMONTI, f. 96). — (5) Castrum plebis, postea Civitas plebis, *Città della Pieve*, parvum oppidum, circa 25 chiliometris ab Urbe Veteri versus aquilonem et 33 a Perusio ad occidentem iacet.

amita sua, Deo devota, quandam puellam speciosam valde, sed tumefactionem habentem in gutture, quae * ipsam deformem non mediocriter ostendebat, ad ipsum die quadam adduxit, rogans ut suis manibus super guttur puellae imprimeret signum crucis. Ipse vero ad preces amitae suae locum signavit, ac * puella domum rediens, se liberatam perfecte invenit.

* *cod.* quam.

* *cod.* at.

8. Tantae etiam contemplationis fuit, quod aliquando oculos fixos versus caelum tenebat, et quasi iam in caelo consisteret, circumstantes non cernebat, et vocatus minime audiebat. Ei etiam oboediebant aves, et se ab eo capi continuo permittebant. At ipse postmodum illas dimittens, Creatorem omnium collaudabat. Hoc quod de avibus dixi, a multis saepius visum est, et ego hanc lectionem compilans me testor vidisse. Nunquam etiam otiosum illum aliquis vidit. Eodem tempore, praedicto imminente morbo, per scalas quasdam cecidit, et confracto graviter capite, sanguis multus inde exivit. Sed dum fratres pro medico, ut illum curaret, misissent, venit medicus pro eo curando. Cum autem fratres pro eo ad cellam suam ivissent, invenerunt ipsum, extensis manibus, alacri facie, Dominum collaudantem. Et ignorantes quod divina gratia esset iam liberatus, ad medicum adduxerunt. Ipse autem nullum vestigium vulneris ibi reperiens, ait : *Iste homo nullam patitur aegritudinem*. Et tunc fratres gratias Domino reddiderunt.

9. Placuit autem Altissimo ipsum et alia decorare corona. Nam quaedam alia infirmitas eum arripuit, videlicet ut in aliquibus corporis partibus (1) carnes usque ad ossa corroderentur, et inde vermes iugiter scaturirent. Qui hoc, prout poterat, fratribus occultabat. Sed cum a fratribus esset repertum, non modicum doluerunt. Rogabant autem illum fratres ut pro seipso oraret, ut ab eo aegritudines tales cessarent. Qui respondit : *Fratres carissimi, hoc mihi non expedit, quia haec infirmitas est peccatorum meorum purgatio, et animae fortitudo, iuxta sententiam Apostoli dicentis : " Cum ego infirmor, tunc fortior sum. "*

10. Appropinquante autem sui obitus tempore, sibi Domino revelante, oravit Altissimum, ut ea die illum vocaret, quo migravit ipse Salvator ex mundo. Et ante diem suae separationis de terra, omnibus coadunatis fratribus, in Coena Domini, sic ait : *Fratres carissimi, triginta tribus annis, ut Dominus fuit in terris, vobiscum fui. Obsequia multa a vobis habui, et mihi in omnibus necessitatibus meis sedule ministrastis. Non sum sufficiens vobis gratias reddere de receptis : regratietur autem vobis Dominus Iesus Christus, et reddat vobis meri-*

(1) Haec infirmitas paulo ante mortem beati Ioachimi incoepit, eiusdemque causa fuit.

tum de tantis obsequiis mihi factis. Ego autem cras a vobis recedam. Sed rogo vos ut pro me Dominum exoretis, et ut me peccatorem dignetur in suo tabernaculo collocare. Volo vobiscum ante meum recessum facere charitatem. Et tunc cum eis vinum aliquantulum potavit (1).

11. Fratres vero putaverunt communiter quod aliena mente talia loqueretur. Sed feria sexta in Parasceve *(2), cum iam Passio Domini deberet cantari, pro Priore (3) misit, eique dixit: *Reverende Pater, Dominus statim de hoc saeculo me vocabit : ponite fratres mecum, et date mihi ecclesiastica sacramenta, licet heri vobiscum sacrum sumpserim Corpus, ut a vobis non discedam invisus.* Prior autem eius dictis perfecte fidem non adhibens, nec tamen verba omnimodo spernens, secum quattuor posuit fratres. Ipse tamen continuo orationi deditus, dum cantaretur Passio Domini, et veniretur ad illud verbum, scilicet: *Inclinato capite, emisit spiritum*, elevatis sursum oculis coram praedictis fratribus, spiritum tradidit Altissimo Creatori. * *cod.* Parasceven.

12. Fratres autem in ecclesia positi, hoc audientes (4), completo tamen officio, ad eius cellam communiter perrexerunt, eumque iam invenientes defunctum, corpus beatissimum osculati, exsequias dignas exhibuerunt, et corpus eius reverenter secunda die in ecclesia tumulaverunt. Et eius sanctam vitam simul et miracula facta divinae dispensationi revelanda relinquentes, eius magnalia tacuerunt, ut Dominus thesaurum in agro absconditum electo ab illo tempore propalaret, et tunc fierent beneficia petentibus populis, prout decet, praestante Domino nostro Jesu Christo. cui est honor et gloria in saecula saeculorum.

[MIRACULA]

13. Obiit autem beatus Ioachinus anno Domini M°. CCC°. V°.; et coepit Dominus per eum mirabilia ostendere anno Domini M°. CCC°. X°, et primum miraculum tale fuit. Quinto anno sui obitus, cum de mense maii ad indulgentiam sancti Galgani (5) plurimi convenissent, stantes ad ignem, quia aliquantulum frigus erat, coeperunt loqui de vita et miraculis beati Ambrosii de Senis (6) et beati Petri Pecti-

(1) Anonymus dicit vinum istud datum ob debilitatem, ex quo dedit aliis in signum pacis et fraternae charitatis. — (2) Parasceve anno 1305 in diem 16 aprilis incidebat, ut iam diximus. — (3) Prior tunc temporis erat quidam Fr. Bernardus Montanitii. (BUONDELMONTI, *Memorie*, p. 96). — (4) Id est hoc cognoscentes ex ingenti flamma quae tunc apparuit in ecclesia, ut ex Nicolao, Attavanti, Anonymo, Poccianti et Tavanti compertum est. — (5) *San Galgano*, celebre eremitorium circiter 25 miliariis distans a Senis, meridiem inter et occidentem : ubi diu in magna sanctitate vixit S. Galganus, qui die 8 decembris 1181 obiit. — (6) B. Ambrosius Sansedoni, Senensis, Ordinis Praedicatorum, qui praedicando maxime floruerat. Obiit die 20 martii 1287. De eo agunt *Acta SS.*, Martii t. III, p. 180-251.

narii (1), et quorundam bonorum defunctorum, quos ipsi cognoverant et fuerant temporibus suis. Tunc quidam coepit beatum Ioachinum valde laudare et quasi super omnes ipsum extollere, dicens quod non modicum mirabatur quomodo Dominus per eum mirabilia non ostendebat. Conversus (2) autem quidam de ipsorum Ordine ibi cum iis sedebat, qui habebat quandam infirmitatem gravissimam, quam vulgariter inguinariam vocant; et tumescente inguine, erat ibi factum apostema gravissimum, et cum in crastinum a medico deberet incidi, valde timebat. Audiens autem vitam beati Ioachini sic sanctam et miraculis plenam, mentem et devotionem in ipso posuit, et coepit se vovere dicens: *O pater sanctissime Ioachine, si vera sunt quae de te audivi, roga omnipotentem Deum ut in me incipiat tua miracula demonstrare; et ego tibi promitto illud propalare, et personaliter imaginem ceream in meam similitudinem tibi ferre.* Factum est autem in crastinum, adveniente medico ad incidendum, cum elevaret pannos, fuit inventus ita perfectissime liberatus ac si nunquam aliquod malum ibi fuisset. Tunc praedictus conversus, portans propriis manibus imaginem ceream, ad locum venit, et dictum miraculum declaravit.

* *cod.* Pentecosten.

14. Post haec, in die sanctae Pentecostes* (3), cum frater Nichola de Senis praedicaret in claustro post nonam, quaedam daemoniaca ibi adducta erat; et cum diceret praedicator praedictus miraculum superius adnotatum, coepit daemon per os istius valde clamare ac dicere: *Nunc venit tempus egressionis meae et liberationis Christianellae.* Facta autem praedicatione, concurrit populi copiosa multitudo, quia haec daemoniaca valde famosa erat. Sed cum per fratres coniuraretur spiritus malus, ut diceret quare non expulerant eum alii sancti, ad quorum sepulcra accesserat, dixit: *Quia Dominus huic sancto istud miraculum reservavit, et sic placuit divinae sapientiae dispensare.* Coniuratus insuper ut diceret suae recessionis signum, ait: *Cum recessero, lampadem confringam, et Christianellam quasi mortuam derelinquam.* Quod et factum est. Et hoc valde mirabile, cum mulier simplex esset et idiota, grammatice perfectissime loquebatur. Addidit* insuper daemon: *Omnes pannos dorsi illius extrahite; sed et tonsurate* omnes crines capitis eius, et in signum miraculi coram eius tumulo suspendite; alioquin in ipsam habeo potestatem reintrandi.* Quòd et ita factum est.

* *cod.* adidit.
* *cod.* tonsorate.

15. Quidam saccularis, dum per viam transiret incaute, accidit ut ab uno lapide percuteretur desuper veniente, a quo non mediocriter exstitit vulneratus; et cum sanguis multus inde exiret, ita ut capilli et

(1) B. Petrus Pectinari Senensis, tertii Ordinis S. Francisci, die 4 decembris 1289 obiit. — (2) Conversi ii dicebantur qui se alicui monasterio dedicabant. Fere idem erant ac hodierni tertiarii. — (3) Die scilicet 7ª iunii.

infula infunderentur sanguine, sentiens ictum lapidis, valde doluit, et beatum Ioachinum devotione qua potuit, invocavit. Et cum subito pro medico missum esset, adveniente medico, nullum vestigium vulneris ibi repertum fuit, nisi caput cum infula sanguine cruentatum. Tunc homo ille infulam simul cum lapide ad eius sepulcrum fecit suspendi, et imaginem ceream longitudinis suae staturae portavit.

16. Senis, in contrata quae dicitur Pantanetum (1), quidam puer sex annorum panem in manu portabat, et per viam, ut pueri faciunt, comedebat; cui cum quidam canis obviasset, voluit panem de manu pueri arripere. Puer autem, ad se manum retrahens, a cane taliter morsus fuit, ut unum de digitis manus simul cum pane abscinderet. Quod mater et pater pueri cernentes, postquam vulnus medicari fecerunt, beatum Ioachinum tota devotione cordis * invocarunt. Secunda autem die, adveniente medico pro ipso curando, invenit digitum integrum noviter ibi natum. Nam primus totaliter erat abscissus. Tunc cum lacrimis ad tumulum eius puerum adduxerunt, et ibi unum digitum argenteum suspendi fecerunt.

**cod.* devotionis corde.

17. In parochia Sancti Salvatoris de Senis quidam habebat unam vegetem (2) vini meri et optimi, quam pro suis necessitatibus vendere intendebat. Sed cum in festo beati Ioachini invitaretur a sociis ire ad festum, dixit : *Non veniam, neque volo ire ad festum cuiusdam fatui, quem, ut lucrentur fratres sui, affirmant sanctum esse; sed potius volo mittere hoc mane manum ad vegetem, et incipere vendere vinum meum.* Sed cum inciperet trahere vinum, exiit vinum totaliter turbulentum quasi faeces *, et in saporem acetosum et malum conversum, quod prius clarum * et boni saporis exstiterat. Tunc homo non mediocriter conturbatus, eo quod veges magna erat et satis magni valoris, recordatus stultorum verborum quae dixerat contra sanctum, vinum beato Ioachino vovit, quod si in pristinam claritatem et saporem rediret, unam lagenam duorum systariorum fratribus daret, et unam vegetellam cerae sibi offerret. Et ecce mirum! secunda die adveniente, vinum in maiorem claritatem et saporem quam prius conversum est. Tunc homo ille alacer factus, gratias Deo dedit, et quae vovit plenarie * adimplevit.

** cod.* faces.

** cod.* clari.

** cod.* planarie.

18. Rusticus quidam, cum per silvam Laci (4) transiret, serpentem magnum et nigrum obviam habuit; qui serpens, cum esset in

(1) Haec contrata, gallice *rue*, non longe distat ab ecclesia Servorum. — (2) Haec parochia, quae exeunte saeculo proxime elapso suppressa est, sita erat ex adverso ecclesiae Servorum a qua valle separabatur. — (3) Veges, i. e. cadus. — (4) Sic vocabatur haec silva, quae erat in latere collium circa Senas. quia erant multae aquae in his locis. In hac silva exstabat celebre eremitorium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, nuncupatum *de Lecceto*, quod hodie in villam seminarii archiepiscopalis conversum est.

media die tempore aestus, valde elevato capite et audacter incedebat. Rusticus vero, accepto baculo quem manu tenebat, serpentem super dorsum percussit. At serpens super rusticum se iactans, ipsum crudeliter in crure momordit, et in vulnus venenum infudit. Cum autem rusticus reverteretur ad domum, intumuit crus valde. Ipse autem devotionem acceperat in B. Ioachim, quia quidam cognatus eius fuerat eius meritis a febribus liberatus. Et vovit se beato Ioachino, quod si eum liberaret, ferret sibi crus unum de cera secundum suam possibilitatem, quia pauper erat. Qui obdormiens vidit unum fratrem cum habitu Servorum, dicentem sibi : *Ostende mihi crus tuum, ut illud sanem, quia ego sum sanctus Ioachinus quem invocasti*. Et cum tangeret eum, evigilavit aeger a somno, et invenit se perfectissime liberatum. Tunc gratias Deo dedit, et quod voverat adimplevit.

19. Domina quaedam unicum filium trium annorum habebat, quem tenerrime diligebat. Cum autem ad ecclesiam vadens, filium dimitteret dormientem in lecto, accidit ut filius evigilaret a somno, et se solum inveniens plorare coepit. Et cum vellet de lecto exire, in terram cecidit, et brachium dextrum confregit. Mater vero ab ecclesia revertens, cum intraret domum, audivit puerum plorantem, et currens ad eum, invenit quasi semimortuum iacere in terra. Et cum elevaret eum, et mitteret pro medico sicut decet, positus est super lectum. Mater vero, maritum valde timens qui erat in comitatu, ne in reversione filium sic fractum inveniret, et inde sibi afflictionem inferret propter malam custodiam factam de puero, vovit beato Ioachino quod, si filium ante reditum * patris liberaret, imaginem longitudinis filii de cera sibi offerret. Secunda autem die, adveniente medico, ita brachium consolidatum inventum est, ac si laesio numquam ibi fuisset.

* *cod.* redditum.

20. Soldatus quidam, nomine Guillielmus, quando beatus Ioachinus incoepit facere miracula, Senis * erat; sed cassatus cum sociis a communi Senarum, Bononiae ad stipendium est receptus. Cum autem esset Bononiae, habebat quendam equum magnum, cui difficiliter mittebatur frenum, et se calcibus et dentibus defendebat. Sed cum quadam die a scutifero frenari non posset, ipsemet frenum accepit. Equus autem, elevatis calcibus, praedictum Gulielmum in pectus percussit, et quasi mortuum in terram deiecit. Veniens autem medicus dixit quod plures de costis pectoris erant confractae. Soldatus vero recordatus fuit miraculorum beati Ioachini, quae viderat cum esset Senis. Et statim tota mentis devotione se vovit, quod si eum liberaret, equum et seipsum super equum in statua cerea * suo altari faceret offerri. Qui statim meliorari incoepit, et in paucis diebus fuit perfectissime liberatus; et quod voverat sancto, fideliter adimplevit.

* *cod.* senex.

* *cod.* ceree.

21. In civitate Forolivii (1), cum quidam frater noster (2) miracula sancti Ioachini in populo praedicasset, et devotionem magnam in eum populus concepisset, accidit quod paucis post evolutis diebus hastiludium magnum fieret in platea communis. Sed cum quidam puerulus V annorum, qui erat filius filii domini Iacobi de Porta, ad fenestram cum pluribus pueris ad videndum maneret, capite incaute et pueriliter inclinato, per fenestram capite verso in terram corruit; cuius altitudo a terra est fere brachiorum XXX. Cum autem multi currerent ad iuvandum puerum, invenerunt eum super pedes suos tamquam pennam unam leviter cecidisse. Mater vero pueri videns cadere filium, qui in alia fenestra erat, beatum Ioachinum invocavit, quia fuerat ad praedicationem, quando frater noster eius miracula dixerat. Interrogatus vero puer qualiter se haberet, respondit : *Bene, quia quidam frater de Ordine Servorum, habens coronam valde lucidam in capite, meipsum cadentem acceperat et leviter in terra super pedes meos posuerat.* Tunc praedictus dominus Iacobus avus pueri, Deo devotus et homo utique bonae famae, beatum Ioachinum in tribus locis civitatis depingi sollemniter fecit, et imaginem cerea solidam Senis ante suum altare fecit suspendi; et ipse cum tota domo sua beatum Ioachinum perpetuo * in devotione habuit. * *cod.* perpetue.

22. In comitatu Aretii quidam, nomine Bartholus, audierat de miraculis et vita beati Ioachini, quia illis diebus Senis fuerat. Dum autem quandam arborem in quadam die incidere vellet, incaute securim elevans, super pedem sinistrum securi se percussit, et ita pedem fortiter liberavit, quod usque ad terram vulnus per longitudinem pedis transiret. Sed cum poenam magnam in ictu percussionis sentiret, clamavit dicens : *Sancte Ioachine, adiuva me.* Cum autem pararet asinum, ut ad civitatem accederet, ut curaretur, sensit dolorem pedis totaliter recessisse; et ponens pedem in terra vidit quod se poterat firmare super ipsum. Tunc elevavit fasciam magnam, quam uxor sua ibi posuerat cum stuppa et albedine ovi. Et invenit vulnus totaliter solidatum et perfecte sanatum; sed remanserat ibi ex utraque parte cicatrix, credo in signum miraculi. Tunc ipse cum pluribus de contrata sua Senas venit, et fratribus miraculum enarravit, et instrumentum * publicum de hoc fratres fieri fecerunt, et ipse imaginem cruris cum pede de cera satis magnae staturae ante eius sepulcrum fecit appendi. * *cod.* strumentum.

23. Puer quidam sex annorum, extra portam Senensem cum quosdam flores qui erant super foveam quandam aquae, colligere vellet,

(1) Forolivium, *Forlì* in Romandiola, ubi iam a tempore S. Philippi exstabat conventus Ordinis. — (2) Hic frater, ut ex Attavanti, n. 35, comperimus, vocabatur Paulus Antonides, et Florentia oriundus erat.

et, ut mos puerorum est, se nimium inclinaret, in foveam ipsam cecidit. Et dum se iuvare non posset, in fundum aquae ivit, et per magnam horam ibi stetit. Sed cum mater pueri inde transiret et aquam se
* s. d. *sic cod.* ducentem * et turbulentam more insolito videret, mirata est. Cum autem ibi aliquantulum staret, et ecce aqua puerum ad partem superiorem eiecit, sicut facere consuevit, quando aliquis suffocatur. Videns vero filium, clamorem magnum misit. Pater autem pueri, qui laborabat in horto, currens filium inde extraxit, qui fuit ab omnibus mortuus reputatus. Tunc ipse simul cum uxore beato Ioachino ipsum voverunt. Stetit autem puer per magnam [horam] non habens anhelitum neque pulsum. Sed incoepit postea ducere aliqualiter caput, et versus terram a patre revolutus, aquam multam reiecit, et ea die incolumitati pristinae restitutus fuit. Tunc pater et mater puerum ad locum fratrum duxerunt, et beato Ioachino gratias reddiderunt.

24. In civitate Florentiae, quidam nomine Lippus, de fraternitate ipsorum, videlicet Servorum (1), erat inferius non mediocriter ruptus, ita ut intestina ad locâ inferiora quasi omnia descendissent. Et cum dolores non modicos sustineret, vovit se beato Ioachino, quod si eius meritis liberaretur, veniret pedibus nudis de Florentia usque Senas, et ibi poneret unam imaginem ceream suae longitudinis, et sibi offerret unum doplonum (2) pro illuminando Corpore Christi. Qui mane surgens, se invenit perfectissime liberatum, et illam infirmitatem ulterius non sensit, cum superviveret ultra viginti annos. Unde et Senas nudis pedibus venit, et quod promisit fideliter adimplevit.

25. In civitate Massae Maritimae (3) erat quidam qui iniuste captus,
* *cod.* false. cum falso * esset contra illum probatum, ad capitis truncationem iudicatus erat. Cum autem valde tristis in carcere permaneret, eo quod
* *cod.* mente. sic inique esset damnatus, venit sibi in mentem * beatus Ioachinus, et hoc propter multa quae de ipse audierat Senis : nam illis diebus Senis fuerat, et steterat in hospitio in burgo Sancti Mauritii (4), et illis diebus fuerat festum beati Ioachini. Et sic recordatus miraculorum quae audierat, se devotissime vovit, quod si meritis beati Ioachini liberaretur a tali morte et a carceribus, portaret ad eius altare compedes, et faceret fieri unum carcerem de cera et imaginem suam intus. Et ecce custodes de sèro somno gravati, carcerem apertum dimise-

(1) Verosimile est hic agi de fraternitate vulgo vocata *I Laudesi di Santa Maria dei Servi*, quae iam exstabat tempore S. Philippi, qui anno 1273 ei dedit privilegium communicationis bonorum spiritualium. Vide *Annales Servorum*, t. I, p. 40. — (2) Doplonum, italice *doppione, doppiero*, est magna taeda. — (3) Massa Maritima, antiqua Populonia, olim dicionis Senensis, inter occidentem et meridiem Senarum, ad mare iacet. — (4) Hic burgus, qui circa hoc tempus in urbem inclusus est, non longe distat ab ecclesia Servorum.

runt, et se dormitioni dederunt nutu Dei. Quod captivi cernentes, sine labore aliquo inde fugerunt, non solum ipse, sed et omnes alii. Tunc ipse Senas pedibus nudis venit, et compedes per medium civitatis usque ad locum fratrum suis manibus tulit, et carcerellum de cera, sicut voverat, fieri fecit.

26. In parochia mansionis fratrum Templi de Camolleria (1), quaedam mulier cataractas in oculis habebat. Sed cum multis sanctis diversimode se vovisset, nec aliquod * susciperet sublevamen, vovit se ultimo beato Ioachino : nam usque ad illum diem de eo trufas faciebat. Et ecce media nocte beatus Ioachinus sibi in somnis apparuit, eique dixit : *Cognoscis me?* At illa dixit : *Non, domine.* — *Ego sum sanctus Ioachinus, de quo usque hodie trufas fecisti. Vere propter illud divina gratia non es digna. Sed ut cognoscas me esse in caelo, nec ultra derisionem de aliquo sancto facias, acquisivi tibi a Domino gratiam sanitatis. Exsurge ergo sana, et deinceps recte vivas.* Quae evigilans et se sanatam inveniens, gratias Deo dedit, et de malefactis paenitentiam egit; et ad locum fratrum veniens, haec omnia enarravit.

* *cod.* aliquid.

27. De isto venerabili patre nostro Ioachino multa narrantur quae scribi possent. Haec autem ad nostram eruditionem et doctrinam scripta sunt, et ut credamus, et credentes vitam habeamus meritis ipsius Virginisque * in ipso, cum quo vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

* *cod.* ipsiusque Virginis.

(1) *Camollia* erat una ex tribus Senarum partibus, *terzeriis* vocatis ; uno circiter miliario ab ecclesia Servorum distat.

BULLETIN

DES PUBLICATIONS HAGIOGRAPHIQUES

N. B. Les ouvrages marqués d'un astérisque ont été envoyés à la rédaction.

A l'époque du grand schisme d'Occident, le **B. Jean Dominici** (1) fut un des plus fidèles adhérents de Grégoire XII. Qui donc s'étonnera que, dans les temps passés et encore aujourd'hui, il ait été fort diversement apprécié, surtout quand on se rappelle dans quelles circonstances il fut élevé au cardinalat et qu'on découvre qu'il exhorta le pape à résister aux injonctions du concile de Pise ? Le R. P. Rössler (2) de la Congrégation du T. S. R. a entrepris de venger Jean Dominici des reproches de vanité et d'ambition qu'on lui adressait. Ce but est pleinement atteint. Le P. Rössler nous force d'abord de reconnaître en Jean Dominici la vertu des saints. A cet effet il le montre travaillant avec zèle et prudence à ramener ses confrères de l'Ordre de S. Dominique à la stricte observance des statuts, évangélisant ensuite la ville de Florence et s'opposant avec discrétion et courage aux tendances dangereuses et antichrétiennes de la Renaissance. Dès lors on n'est plus tenté de mal interpréter son dévouement à Grégoire XII, ni à en faire le mauvais génie de ce pontife.

Il faut savoir gré au R. P. V. Kolb, S. J. d'avoir réédité la Vie allemande de **S. Ignace de Loyola**, par le P. Chr. Genelli S. J. (3), qui depuis longtemps ne se rencontrait plus en librairie. C'est en somme le meilleur ouvrage que nous possédions sur les origines de la Compagnie de Jésus et l'histoire de son fondateur. Genelli a travaillé d'après les sources originales, surtout d'après la correspondance du saint; il a étudié à fond les premiers biographes et par une confrontation soigneuse, il en a tiré ce que d'autres n'y avaient pas vu avant lui. Il reste bien encore quelques points obscurs à élucider; mais néanmoins l'ensemble est une œuvre de saine critique, et après l'avoir lue on se fait une juste idée de l'organisme intérieur de la Compagnie de Jésus et de sa vigoureuse expansion au dehors, du vivant même de S. Ignace. Seulement, comme beaucoup de livres allemands d'il y un demi-siècle, la forme littéraire était loin de répondre à la qualité des matériaux. Cette infériorité n'a pas échappé au bon goût de son nouvel éditeur. Quelque ingrate que fût la tâche, il s'est appliqué en maint endroit à refondre le style. C'est toujours l'ouvrage de Genelli, mais dont la lecture est devenue facile et attrayante. Les références bibliographiques laissaient aussi assez à désirer; là encore, avec une patience dont les gens du métier peuvent seul mesurer l'effort, le R. P. Kolb a fait droit aux exigences légitimes et fourni tous les moyens de contrôle.

(1) Cfr. *Acta SS.*, ad. d. 10 iun., t. II, p. 394 sqq. — (2) **Cardinal Iohannes Dominici, O. Pr., 1357-1419, ein Reformatorenbild aus der Zeit des grossen Schisma.* Freiburg im Breisgau, Herder, 1893, pp. VII-96 avec portraits. — (3) *P. Chr. Genelli S. J., *Leben des H. Ignatius von Loyola*, in neuer Bearbeitung von V. Kolb S. J. Wien, 1894, 8°, pp. xvi-404.

On peut lire dans la revue anglaise The Month (1), un document intéressant sur le martyre de trois victimes de la persécution d'Élisabeth, les bienheureux **Edmond Campion, Alexandre Briant et Ralph Sherwin**. C'est une lettre écrite de Londres, trois jours après leur supplice († 1er décembre 1581), par Pedro Serrano, secrétaire de l'ambassadeur espagnol Don Bernardin de Mendoza. Le regretté Père John Morris S. J., à qui nous devons cette trouvaille, a eu soin d'y joindre un commentaire, qui rectifie quelques légères erreurs de détail et met en relief ce qu'il faut surtout retenir de ce récit d'un témoin oculaire.

L'an dernier, MM. W. Hartl et Ch. Schrauf ont commencé la publication de suppléments à *l'Histoire de l'Université de Vienne*, par le chevalier Joseph de Aschbach (2). Sous un titre modeste, ces deux infatigables chercheurs ont recueilli une foule de renseignements précieux, disséminés çà et là, surtout dans les manuscrits de Vienne et dans des ouvrages originaux. En même temps leur souci constant a été de passer toute cette glanure au crible d'une critique sévère et de l'offrir au lecteur dans un exposé lumineux et bien agencé. Le première livraison (pp. 128-56) renferme un excellent article sur l'activité que déploya le bienheureux **Pierre Canisius** à l'université de Vienne de 1552 à 1556. Ce fut un apostolat très laborieux; la Réforme, dont l'influence était prépondérante dans le corps professoral, n'avait guère envie d'y laisser pénétrer la Compagnie de Jésus, à la suite de son redoutable champion.

Tout le monde sait que la grande préoccupation du **B. Canisius** fut de trouver le moyen pratique de répandre dans le peuple la connaissance de la doctrine chrétienne. Nous engagerons donc nos lecteurs désireux de savoir comment Canisius a conçu, préparé, développé et résumé son catéchisme à consulter le mémoire du P. Otto Braunsberger sur ce sujet (3).

Dans un article intitulé *San Francisco Javier. Obito de su Madre* (4), le R. P. Fita établit que la mère de **S. François Xavier** mourut entre le 5 février 1529 et le 16 février 1531. François s'embarqua pour les Indes en 1540. Il n'a donc pas eu à refuser, comme le prétendent certains biographes, de rendre à cette occasion une dernière visite à sa mère.

Dans les pages 67-240 du même volume, le lecteur trouvera sur les ascendants de Xavier des détails qui ont leur intérêt.

Notons encore dans le tome XXIV, page 475-79 du même recueil, deux lettres inédites du **B Jean d'Avila**, datées de Montilla, l'an 1561, et une autre du **B. Dias José de Cadix** (pp. 438-32), envoyée de Malaga le 15 juin 1781.

(1) Livraison d'août 1893, pp. 457-65, sous le titre : *A new Witness about Blessed Edmund Campion.* — (2) **Nachträge zum dritten Bande von Joseph Ritter von Aschbach's Geschichte der Wiener Universität.* Die Wiener Universität und ihre Gelehrten, 1520-1565. Wien, 1893, 8°. — (3) **Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius.* Ergänzungshefte zu den Stimmen aus Maria-Laach, t. XV, 1893, Freiburg im Breisgau, 8°, pp. vii-187. — (4) *Boletin de la real Academia de la Historia*, t. XXIII (1893), pp. 540-49.

Pp. 442-3. on relève l'inscription gravée à Carthagène en l'honneur du bienheureux Dias.

La Vie de **S. Alphonse de Liguori**, par S. É. le cardinal Alphonse Capecelatro, archevêque de Capoue (1), prendra rang parmi les œuvres de bonne et saine vulgarisation.

C'est encore comme ouvrage de vulgarisation que nous signalons la Vie du **B. Louis Sotello**, évêque nommé du Japon, brûlé vif près d'Omura, le 25 août 1624. Toutefois l'auteur de ce livre, le R. P. Louis Tassi de Fabriano, se perd trop souvent en des amplifications inutiles et se répand aussi en des invectives trop vives contre les ennemis de la foi et des ordres religieux.

En publiant dans la *Nuova Rivista Misena* (3) de soi-disant lettres de **S. Charles Borromée**, M. Giov. Eroli a été victime d'une forte méprise. Ces deux pauvres lettres, ou plutôt ces deux billets, d'un contenu d'ailleurs absolument insignifiant, sont datées, l'une de 1590, l'autre du 4 janvier 1595, et signées toutes deux : *L'arcives° de Milano*. Or à cette époque, Gaspar Visconti occupait le siège métropolitain de Milan. S. Charles Borromée était mort en 1584.

La généalogie du bienheureux martyr **John Fisher**, cardinal, évêque de Rochester, n'avait guère tenté jusqu'à présent ses biographes. On croyait que les éléments d'investigation sur un terrain d'ailleurs fort glissant de sa nature faisaient défaut. Néanmoins, M. R. von Fischer-Treuenfeld, poussé par un louable intérêt de famille, n'a pas hésité à se risquer sur ce terrain (4). En possession d'anciennes archives et soumettant à de minutieuses recherches, dont il fait part au lecteur, les divers blasons qu'on a attribués au bienheureux, il établit que la famille Fisher, ou Fischer, à laquelle appartient le grand évêque de Rochester, est issue d'Allemagne, et qu'après le martyre du bienheureux, elle repassa dans son pays d'origine, où elle se ramifia en plusieurs branches. Tel est le résultat le plus clair et le plus net de cette consciencieuse étude. Un mérite encore, c'est d'avoir rectifié les données traditionnelles sur les plus proches parents du prélat martyr. Les autres conclusions particulières, reposant sur des rapprochements plus ou moins solides et ingénieux, ne dépassent guère les limites d'une conjecture plausible, comme l'auteur le reconnait lui-même. Il manque encore plusieurs anneaux à cette longue chaîne généalogique. Du reste, la prudence commande que l'on n'accueille qu'avec une extrême réserve les spéculations de la science héraldique, appliquée au blason de familles, qui portent un nom aussi répandu et aussi significatif que celui de *Piscator*, *Fisher ou Fischer*. Le seul reproche grave que nous ferons à l'auteur, c'est d'avoir confondu, en retraçant dans les vingt-quatre premières pages

(1) * *La vita di sant'Alfonso Maria de' Liguori*. Desclée, Lefebvre et Cie, Tournai, 1893, 2 vol., 8°, portrait, pp. III-477, 623. — (2) * *Vita del B. Luigi Sotello vescovo eletto del Giappone*, compilata dal P. Luigi Tassi da Fabriano, Miss. oss., 8°, 1893, pp. XIX-146, une planche. — (3) An. VII (1894), N. 5-6, p. 70. — (4) * *Lord Johann Fyssher, an historical, genealogical and heraldic Research*. London, 1894, 8°, de 67 pages avec planches.

de son livre les grandes lignes de la vie du bienheureux, la filiation des manuscrits où sa biographie a été conservée. Il y a là une inondation de notes oiseuses, ayant l'air de faire croire qu'il nous est parvenu plusieurs textes anciens de la biographie de Fisher. En réalité, il n'en existe qu'un, celui qui a été publié dans les *Analecta Bollandiana* (1).

Nous avons reçu de la S. Congrégation des Rites les procès imprimés à Rome en 1892-93. En voici la liste :

Nullius seu Cavensis. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servis Dei **Alpherio, Leoni, Petro** et **Constabili,** abbatibus Ordinis S. Benedicti, sanctis nuncupatis. *Positio super cultu immemorabili.* — Romana. Approbationis officii et missae necnon elogii martyrologio S. I. inserendi in honorem **B. Antonii Baldinucci,** sacerdotis professi e Societate Iesu. — Firmana. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **P. Antonii Grassi,** presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii in civitate Firmana. *Positio super dubio : An tuto procedi possit ad venerabilis servi Dei beatificationem.* — Mediolanensis. Beatificationis et canonizationis servi Dei **Bartholomaei Canale,** sacerdotis professi Congregationis clericorum regularium S. Pauli Barnabitarum. *Positio super introductione causae.* — Neapolitana seu Lyciensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Bernardini Realini,** sacerdotis professi e Societate Iesu. *Nova altera positio super miraculis.* — Neapolitana seu Lyciensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Bernardini Realini** sacerdotis professi e Societate Iesu. *Summarium additionale.* — Malacitana seu Hispalensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Didaci Iosephi a Gadibus,** sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum. *Novissima positio super miraculis.* — Ordinis S. Benedicti. Concessionis et approbationis officii et missae propriae in honorem sanctorum patronorum aliorumque qui in insigni et regali abbatia S **Dominici de Silos** in Hispania peculiari cultu ab antiquo decorantur. — Valvensis et Sulmonensis. Concessionis et approbationis missae et officii proprii in honorem venerabilis servi Dei **Falci** eremitae, patroni oppidi Palenae, sancti nuncupati. — Sinarum. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilis servi Dei **Francisci Clet,** sacerdotis e Congregatione missionis S. Vincentii a Paulo. *Positio super validitate processuum et non cultu.* — Neapolitana. Concessionis et approbationis missae et officii proprii in festo **B. Francisci Xaverii Mariae Bianchi,** sacerdotis professi Congregationis clericorum regularium sancti Pauli Barnabitarum. — Positio super cultu immemorabili praestito beato **Guillelmo a Tholosa,** Ordinis eremitarum S. Augustini. — Senensis. Canonizationis **B. Joachimi Piccolomini,** laici professi Ordinis Servorum B. M. V. *Supplex libellus pro signatura commissionis reassumptionis causae.* — Romana seu Lucana. Concessionis et approbationis elogii in martyrologio Romano inserendi in honorem **B. Ioannis Leonardi,** fundatoris Congregationis CC. RR. Matris Dei. —

(1) Tomes X et XII.

Bellicensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Iohannis Baptistae Vianney,** parochi vici Ars. *Positio super virtutibus.* — Sancti Deodati et Sinarum. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Iohannis Martini Moye,** sacerdotis ab exteris missionibus et Congregationis sororum a Providentia fundatoris. *Positio super non cultu.* — Sinarum. Beatificationis seu declarationis martyrii venerabilis servi Dei **Ioannis a Triora,** sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. *Positio super validitate processuum et super non cultu.* — Namurcensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei **Iuliae Billiart,** fundatricis congregationis sororum Beatae Mariae Virginis. *Positio super fama sanctitatis in genere.* — Squillacensis. Concessionis et approbationis missae et officii proprii in honorem **B. Lanuini,** confessoris ex Ordine Carthusianorum. — Neapolitana. Beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei **Mariae Laurentiae Longo,** nosocomii incurabilium Neapolis et monialium Capuccinarum fundatricis. *Positio super non cultu.* — Brixiensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei sororis **Mariae Magdalenae Martinengo a Barco,** monialis professae capuccinae in monasterio S. Mariae ad Nives. *Novissima positio super dubio an constet de miraculo subitae ac perfectae sanationis Fr. Iosephi Mariae ab Aquafrigida Ord. Capuccinorum a desperata phthisi cum integra virium recuperatione in casu et ad effectum de quo agitur.* — Ordinis Minorum. Concessionis et approbationis lectionis et orationum, necnon elogii martyrologio inscribendi in honorem **B. Nevolonis,** tertii ordinis S. Francisci. — Parisiensis. Beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei **R. P. Petri Olivaint, Leonis Ducoudray, Alexii Clerc, Iohannis Caubert,** et **Anatolii de Bengy** e Societate Iesu. *Informatio super dubio : An sit signanda commissio introductionis causae praedictorum servorum Dei in casu et ad effectum de quo agitur.* — Melitensis. Concessionis et approbationis officii proprii in honorem **S. Philippi Argyrionis,** patroni principalis civitatis Rohani. — Indiarum seu Goana. Approbationis officii et missae necnon elogii martyrologio S. I. inserendi in honorem beatorum martyrum **Rodulfi Aquaviva, Alfonsi Paceco, Antonii Francisci, Petri Berno,** sacerdotum et **Francisci Aranea,** temporalis coadiutoris e Societate Iesu. — Parisiensis. Beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei sororis **Teresiae a Sancto Augustino,** sanctimonialis professae Ordinis Carmelitarum excalceatorum. *Positio super fama sanctitatis in genere.* — Sancti Miniati. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Theophili a Curte,** sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. *Nova positio super miraculis.* — Romana seu Maceratensis et Tolentinas. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Vincentii Mariae Strambi,** e Congregatione clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi, ac olim episcopi Maceratensis et Tolentinatis. *Expositio virtutum.* — Romana seu Maceratensis et Tolentinas. Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei **Vincentii Mariae Strambi,** e Congregatione clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi ac olim episcopi Maceratensis et Tolentinatis. *Novissima positio super virtutibus.*

VITA
BEATI ANTONII PEREGRINI

EDITA EX CODICE PATAVINO 559 BIBLIOTHECAE ANTONIANAE

In codice Patavino bibliothecae Antonianae signato 559, ex quo descripta fuit Vita beatae Helenae Enselminae edita in *Actis Sanctorum* ad diem 4 novembris (1), asservatur etiam Vita B. Antonii Peregrini, eodem Siccone Polentone auctore (2). Cum vero beatus Antonius vita cesserit anno 1267, ultro concedet lector Vitam istam saeculo XV exaratam inter Acta authentica minime reponendam esse; praestat tamen illis quae in *Actis* olim typis data fuere (3). Illam ergo subicimus, lectores nostros enixe rogantes, ut has *Analectorum* paginas cum *Actorum* plagula commutare velint. Vitam ex codice maxima cura exscripsit R. P. Iacobi S. I., apographum sedulo cum authentico contulit cl. vir R. P. Iosephus Negri O. S. F., bibliothecae Antonianae praefectus. Quibus nostrae sint grates.

Beati Antonii Peregrini vita incipit feliciter.

1. Manziorum familia (4), quae Paduae honesta cum opibus tum vetustate fuit, natus est beatus Antonius Peregrinus. Romanum tunc habebat imperium Fridericus, qui nominis eius secundus imperator Friderici Barbaerussae ex filio Henrico nepos esset (5). Dominatum vero Paduae libertate publica violata tenebat Ecerinus tyrannus (6). Pater Marsilius, mater Dolcina, soror Daniota sunt nomine appellati. Noster autem hic beatus Antonius aetate nulla se lasciviis ad voluptates et vitia, nulli se mercaturae ad opes cumulandas dedit, sed animi quadam maturitate ac fervore ductus, ipsis etiam in pueritiae annis, quasi senex ad ieiunia, ad missas, ad praedicationes vertit. Quae autem sibi a patre essent relictae opes, eas veluti compedes iter ad Deum impedientes abiecit, sprevit, erogavit pauperibus. Hanc vitae suae rationem non laudabant multi, quod essent pauci qui viderent haec

(1) Nov. t. II, part. I, p. 510, n. 2. — (2) Ibid. — (3) Febr. t. I, p. 264-5. — (4) De Manziorum familia videsis Gennari, *Annali della Città di Padova*, part. III, p. 11. — (5) Fridericus secundus nomine imperitavit ab anno 1215 ad 1250. — (6) De Ecerino tyranno cfr. Gennari, *op. cit.*, part. III, p. 1.

signa esse futurum sine dubio quod vir bonus et sanctus esset. Multitudo autem, praesertim qui ulla sibi necessitudine iungerentur, omnes adde quas haberet sorores, moniales duae, ipsum veluti amentem et fatuum deridebant, quod stulti esse putarent, dare pauperibus illa quibus egeret, ut more maiorum vivere splendide ac opulente posset. Ipse autem derideri se haberique ludibrio ac contemni ferebat patienter, nec quod dicerent illi, sed quod faceret ipse, ut Deo placeret omni mente curabat. Spretis igitur omnibus quae mundi essent, quod ea, uti sunt, fugacia, fallacia, transitoria esse perciperet, aliud nihil quam Deo servire, ut salutem assequeretur aeternam, quaerebat, cogitabat, studebat, denique ut castigaret corpus, idque, ut monet apostolus, in servitutem redigeret et maceraret; peregrinari ac mendicare ostiatim, cum aliunde non haberet quae sibi essent ad vitam necessaria, statuit. Viam namque hanc istam, quae difficilis esset arduaque ac prope inaudita, serviendi Deo, ascendendi ad caelos, assequendi aeternam vitam, sibi noster sumpsit Antonius.

2. Deo autem servientium hominum qui boni sunt et sancti viri, populis aliqui praedicant, martyrium patiuntur quidam, eremum intrant multi. Qui vero sunt sponte mendici, ac vitam omnem peregrinatione consumant, haudquaquam audiuntur multi. Peregrinandi quidem mea sententia magnus est labor, nec parvus est mendicandi pudor, homini praesertim qui sit, uti erat noster Antonius, iuvenis, nec re ulla egere, sed apud suos ac sua in domo esse dives honorateque vivere ac delicate soleret. Enimvero qui vere peregrini sunt atque mendici non fament raro, quod frustum panis saepe frustra petant onerenturque contumeliis, ac vituperose pellantur. Nocte obscura tecto quandoque carent, et quo divertant cum locnm non habeant, ipso teguntur caelo, proficiscentes aestate uruntur calore, hieme, cum veste sint prope nudi, frigorosi tremuli rigent. Miseri quippe neglecti sunt a cunctis atque contempti. Haec via est quam tenere Deo ut serviret. sibi delegit Antonius, quod esset iuvenis et fortis ad laborem, nec quo suum castigaret corpus ac Deo placeret quicquam videret sibi esse magis idoneum.

3. Adulescens igitur, habitu peregrini egentis ac mendici sumpto, Padua profectus Bazanum ivit; oppidum est illud Bononiensis agri (1). Aegrum ibi ac senem, qui erat vir bonus atque sacerdos, invenit; hunc egenum ac desertum a cunctis fovendum gubernandumque suscepit. Triennium huic Dei amore servivit, nec alia sibi, quam si eius fuisset parens, fide, cura, diligentia qua potuit, ministravit. Quae autem ad vitae sustentamentum erant, ea, cum mendici ambo essent, et senio ille ac valetudine impeditus quaeritare non posset, hic pro

(1) *Bazano*, situm nempe ad aquilonem Bononiae, prope fluvium *Samogia*.

utroque continuo mendicabat. Eleemosyna quidem vixit ubique, nec super necessitatem accipiebat quicquam, datum vero si quid erat interdum, quod esse superfluum videretur, id totum infirmis mendicis egentibus erogabat. Adde quod per omnem vitam ieiunio, disciplina, cilicio macerabat corpus. Plumea numquam usus est culcitra, dormiturus vero aut nuda iacebat terra, aut stramen, idque pauculum, sibi pro lecto sternebat. Capiti aliud nihil quam lapidem supponebat, dormiebat parum, quae Dei sunt meditabatur assidue, vacabat orationibus multum, tempus nullum per ignaviam aut lasciviam consumebat, quid dixerimus, vix naturae quod necessitas ad vitam exigeret quietis et cibi dabat. Deum semper contemplabatur mente, ac bonis operibus vigilabat. Bazano autem ire pergens Romam ad visenda limina apostolorum Petri et Pauli et quae ibi sunt multa corpora sancta venit, denique omnem Italiam circuiens, locum reliquit nullum, in quo esse aut data summo a pontifice indulgentia singularis aut sancti cuiusquam celebre corpus audiret. Ex Italia transivit in Galliam, et quod est in Delphinatu Viennae venerabile corpus magni abbatis Antonii visitavit (1). Inde Hispaniam petens, Sanctum ad Iacobum de Galicia profectus est. Postremo regressus in Galliam, quicquid est terrarum, magnus est quidem tractus et longum iter in Germaniam, peragravit. Tum quae Coloniae sunt corpora trium Magorum sanctarumque Ursulae ac XI^{m} virginum adiit : civitatem in Germaniam egregiam esse Coloniam eandemque a Marco Agrippa magni Octaviani genero conditam ac nomine Coloniam appellatam quod esset colonia romana, constat.

4. Paduam tandem mare, quantum existimo, traiecturus, sanctamque terram ac sepulcrum Domini visurus, exacto iam quinquennio, rediit. Neque vero qui videret ipsum revertentem melioribus oculis quam discedentem, invenit quemquam noster Antonius, quod, teste optimo veritatis auctore Domino nostro Iesu Christo vere Dei filio ac vero Deo propheta, nemo acceptus sua in patria habeatur. Antonium namque tunc nostrum qui sui erant propinqui, quae duae sorores suae sacrae moniales erant, qui eum cognoscebant omnes, ac tota civitas increpabant habebantque ludibrio, ac petentem eleemosynam repellebant, quod esset omnibus odio, quod inani quadam ac stulta, ut dicebant ipsi, opinione delusus dedisset pauperibus, quas opes habuerat omnes, peregrinarique ac mendicare aliena ad ostia panem quo viveret, quam sua in patria, sua in domo, apud suos honorate cum posset, vivere maluisset. Age, bono de opere arguebant eum, quod caeci essent ipsi, nec quaerunt caelestia, sed terrena modo

(1) De S. Antonii reliquiarum translatione in Galliam, quae reliquiae in monasterio Viennensi asservatae sunt, cfr. *Gallia christ.*, t. XVI, p. 186.

viderent, existimarentque honorem sibi quam maxime minui, quod suus Antonius veste obsoleta tectus peregrinaretur ac mendicaret. Contemptus itaque atque repulsus a cunctis noster hic pauper ac peregrinus Antonius patentem divertit in porticum ecclesiae Sanctae Mariae de Porcilia (1). Olitorum est locus extra civitatem moenii proximus. Hic qui quoad vixit, mansit beatus Antonius, nec quidem perdiu vixit. Gravi namque valetudine mox ferme correptus, sanctam animam dedit Deo. Tum vitae suae sanctitas miraculis patefacta est, atque ita patefacta et cognita manifeste, ut ipsum qui viventem neglexerant, ac in derisum habuerant, eundem mox ut mortem obiit, caelos ascendisse ac beatorum in ordinem collocatum esse sine dubio faterentur, crederent, atque ut sancti viri corpus venerabile colerent. Quippe defunctus est vita nativitatis Christi anno MCCLXVII, tertio kalendas februarias. Hunc diem sibi perpetuum festum celebrem eius ad memoriam, honorem, reverentiam anno singulo Paduani agunt. Sanctorum tamen in catalogo haberi eum summo pontifici non placuit, quod satis atque satis esse censeret, quod Padua unum modo Antonium qui sit confessor et sanctus haberet.

5. Haec sunt quae habui de vita huius nostri beati peregrini Antonii memoranda. Id vero sequitur modo ut quae Deus fecit per ipsum miracula, ad testimonium sanctitatis videamus. Qua in re si memorare singula statuam, illud futurum intellego, quod fateatur quisque Dei gratiam hoc isto beato in peregrino et sancto viro ita miraculis claruisse, ut frustra nemo novisse votum ei, aut venisse eius ad tumulum videatur. Sed iam miracula, uti est principale propositum, quodam brevi compendio absolvamus.

Beati Antonii Peregrini miracula.

1. Maria, quae Paduae apud Sancti Bartholomaei ecclesiam habitaret (2), mente devota ad beati huius Peregrini Antonii ducta est. Nec quidem est vane ducta. Quam enim a Deo gratiam deposcebat, obtinuit. Dextris namque manu ac pede contracta venit, ad tumulum vigilavit per noctem. Ope implorata divina, sanitatem pedis primum, deinde manus, cum aurora lucesceret, assecuta est.

2. Domini quoque nostri Iesu Christi misericordiam meritis Peregrini huius sensit Beatrix. Arenae (3) in vico habitabat ista. Contractam vero perdiu habens manum sese cum devotione super huius

(1) Sita erat haec ecclesia extra portas urbis Patavii; cfr. Portenari, *Della felicità di Padova*, p. 72. — (2) Portenari, *op. cit.*, p. 478. — (3) *Ibid.*, p. 96.

Peregrini sepulcrum extendit, nec longa fuit mora, sed mox quam petebat contractae manus sanitatem accepit.

3. Ad famam miraculi huius venit Paduam Amiciolus Mediolanensis homo, seque Beatricis vestigia imitatus super arcam Peregrini extendit, atque, ut illa, manus contractione liberatus est.

4. Nicolaus Paduanus civis, qui apud ecclesiam Sanctae Caterinae (1) habitabat, dexteram contractam habebat manum. Sed cum primum ad Peregrini monumentum venit, sanitatem obtinuit.

5. Nec Adeleita gratiam minorem habuit; haec Paduae ad civitatis extrema, vicum Caudam longam appellant (2), annos femina ista ad XX fuerat curva, tandem ad Peregrini tumulum liberata est.

6. Contractam habens spinam ac per terram genua trahens Cristanus Theutonicus huius ad Peregrini arcam venit, atque oratione ad Deum facta, sospes qui venerat aeger in Alemaniam rediit.

7. Ex villa Peraroli (3) veniens ad Peregrini tumulum Nascimbene qua laborabat et cruris et brachii contractione sanatus est.

8. Genu sinistrum contractum habens Andreas Paduanus civis, ad Peregrini corpus visendum devota venit mente, domum vero sanus regressus est.

9. Nec preces Albertae aspernatus est Dominus, quippe genu simul ac dextrum pedem contractos habens femina haec ex villa Camuradae ad tumulum nostri huius Antonii sanata est.

10. Contractione pedis et manus sinistrae vexabatur Cortesius, Paduanus civis, atque cum ambulabat, quam maxime claudicabat. Auditis vero miraculis Peregrini, eius ad tumulum accessit, nec quidem spes fefellit eum, sed mox ut tetigit corpus, sanitatem accepit.

11. Benignitatem suam ostendit Dominus Nicoletae; haec de villa Turris erat. Cruris autem et anchae contractionem ita passa erat, quod neque terram calcaneo tangere, nec sine baculo ambulare posset, hanc quoque Dominus ad Peregrini tumulum liberavit.

12. Tombulo (4), villa Paduani agri, veniens femina Adelmota nomine appellata sanitati restituta est, cum dexterae manus contractione vexata esset.

13. Quantus apud Deum summum ac praepotentem sit noster Antonius saepenumero patefactum est. Bonaventuram enim, qui Paduanus esset civis et contractionem anchae dextrae pateretur, liberavit Dominus ad tumulum Peregrini.

14. Claruit dietim magis atque magis huius Peregrini virtus. Quippe Benevenuta ex Cereda, Veronense villa, Paduam venit ad Peregrini tumbam; atque ut genua ad Peregrini sepulcrum flexit,

(1) *Ibid.*, p. 440. — (2) *Porta di Codalonga*, cfr. *ibid.*, p. 90. — (3) Hodie *Perarolo* in provincia Veneta. — (4) PORTENARI, p. 507.

liberata est contractione utriusque anchae, quam diutissime pateretur.

15. In foro Iulii femina erat, Capriola nomine appellata; ea sinistrum genu et utramque ancham contractas habebat, nec ulla sibi hominum proderat medicina; proinde auxilium implorans Peregrini super tumulum se extendit, et sanata est.

16. Merito etiam Peregrini nostri exaudita est Floria. Erat haec de Tienne Vincentina villa (1). Paduae ad Peregrini tumbam liberata est, cum manum utramque ac pedes contractos haberet.

17. Nec gratia Dei negata est Petro. Is erat Paduanus Apponi oriundus, nervos autem sinistrae anchae contractos habens cum baculis annos iam quattuor incedebat. Paduae vero ut fuit ad Peregrini sepulcrum, sanitate donatus est.

18. Desiderata gratiam desideratam obtinuit, haec namque femina Paduana sinistrae anchae contractionem ad decennium passa atque ob eam rem quam maxime claudicans ut venit ad tumulum, repente convaluit.

19. Contractionem anchae ipsis a cunabulis passa Blanca, sic enim appellabatur nomine, femina de villa Solesinini (2), ad Peregrini arcam sanata est.

** cod. sanitatem.*

20. Sanitas * restituta est Armerinae de villa Barbarani, quae sinistrum crus ac nervos anchae sinistrae contractos haberet.

21. Venetiis veniens Paduam ad Peregrini tumulum liberatus est Bartholomaeus. Erat iste adeo contractus spina quod neque se erigere nec incedere, ni positis manibus in terram, posset.

22. Nec minus Peregrini merita sensit Albertinus, nobili e familia Palaciola Parmensis civis. Studebat hic Paduae civili iuri et qui tum erat legum doctor eximius, Gibertum (3) audiebat. Accidit forte ut audiens in scholis subito contractis nervis et linguae et manus utriusque usum amitteret. Facto autem ad Deum ac Peregrinum voto oblataque statua cerea, quam amiserat, sanitatem obtinuit.

23. Paduano in agro villa est Scandolatum nomine apellata, erat ex ea Dicarda quae claudicaret, quod et manus et pedes contractos haberet. Peregrini autem ad sepulcrum restituta sanitati est.

24. Claruit quoque virtus Domini in Maria de Noventa, affligebatur haec quod verso retrorsum utroque genu claudicaret vehementer. Ad tumulum vero Peregrini orans, ita exaudita est, ut quae infirma venerat, sana redierit.

25. Ad tumbam Peregrini huius quam desiderabat sanitatem,

(1) Nunc *Thiene*, oppidum provinciae Vicentinae, ab urbe Vicentia 18 chiliometris distat. — (2) *Solesino*, in ducatu Estensi, PORTENARI, p. 510. — (3) Cfr. PORTENARI, *op. cit.*, p. 285.

impetravit Lucia, habitabat haec Paduae in vico Omnium Sanctorum (1), contracta vero ancha ac nervo erat.

26. Nominis eiusdem alia femina annos ad novem contractionem et sinistrae anchae et nervorum passa ad Peregrini sepulcrum sanitatem accepit.

27. Nec aspernatus est Dominus preces Verdeliae. Hanc Veronensi ex oppido Coloniae oriundam ita Dominus exaudivit, ut quae annum contracta fuerat brachiis, ea ad Peregrini arcam liberata sit.

28. Ex Plebis-Sacci (2) oppido Paduano Dominigolda ad Peregrini visendum corpus claudicans venit, sinistra quidem ancha contracta erat. At oratione ad Deum et Peregrinum devote fusa, domum recta et libera rediit.

29. Tarvisino autem ex oppido Mestre (3) ad Peregrinum venit Benevenuta et quae anchae sinistrae contractionem passa erat, et mirabiliter claudicaret, ea sanitate recepta retrogressa est.

30. Stephanus, Marci Trivisani filius, ad nostri Peregrini sepulcrum ductus, contractione utriusque manus liberatus est.

31. Benevenuta femina origine Syra, fortuna vero serva facta, sed ritu christiano baptizata, os brachii ita scissum gerebat, quod sanari nullo modo posse a medico videretur. Huic per quietem tribus immediatis noctibus domina quaedam apparuit. Praedicebat haec sibi futurum si pergeret Paduam ad Peregrinum ire, quod subito qua patiebatur infirmitate, iubente sic Domino, sanaretur. Sed cum se illa dormiens excusaret non posse quod alterius in potestate ac serva esset, tum quarta sequenti nocte per somnum vidit ad se Peregrinum accedere, qui brachium dissolveret, et quod erat scissum, brachii os sanaret. Excitata vero se, uti per somnum viderat, sanam invenit.

32. Dominicum Augustini filium ex Baxiano oppido Paduani agri liberavit Dominus patrocinio Peregrini nostri, cum gravi fistula oppressus esset.

33. Neque vero Iohannes Albertini Pegoloti filius, Bononiensis hic erat civis, expers auxilii Peregrini fuit. Puerum hunc ludentem cum pueris equus forte currens percussit pede, eundemque ita percussit, quod effluente undique sanguine, puellus pro mortuo haberetur. Nihil proderant medicinae, nihil remedia humana valebant. Facto autem per matrem voto ad Peregrinum hunc nostrum Antonium. puer ante diem tertium liberatus est.

34. Gislae, Antonii Rainerii Tarvisini civis uxori, restituit sanitatem Dominus, facto ad Peregrinum voto. Illa quidem et oculos supra

(1) *Ibid.*, p. 439. — (2) Hodie *Pieve di sacco*, prope Patavium. — (3) Oppidum *Mestre*, in hodierna provincia Venetana, 10 chiliometris Venetiis distat.

modum inflatos ac prope extra caput habebat, et ore ad auriculam usque retorto, videntibus pro monstro erat.

35. In Alemaniam quoque perrexit fama Peregrini huius. Persona quidem e civitate Lodovicus ita erat cruribus debilis atque contractus quod ambulare non posset. Ut vero votum vovit Antonio huic Peregrino nostro, sanitatem recepit, et domum sanissimus rediit.

36. Sanitate donavit Dominus Uliverium Dusii Veronensis hominis filium. Crura iste ac pedes contractos habebat.

37. Bertholotus, Zamboni Paduani civis filius, qui manum contractam haberet, ad Peregrini tumbam orans sanitatem accepit.

38. Mariam quoque quae Sancti Angeli de Torcello abbatissa esset, et visum oculorum ferme totaliter amisisset, exaudivit Dominus meritis Peregrini. Voto enim devote facto, visum cum integritate recepit.

39. Clementer item exaudita est Daria, filia Conradini. Infirmabatur haec ita ut visu penitus privata esset, ac motus omnis videretur exstinctus; votum autem ad Peregrinum parentes voverunt, puella vero sanata est.

40. Ineffabilem misericordiam suam ostendit Dominus benigne, liberavit quidem Luciam Grippi, hominis Tridentini, filiam, ut venit ad tumulum Peregrini, quod visum utriusque oculi amisisset.

41. Cisterciensis Ordinis abbas monasterii de Columba (1) Placentinae diocesis ut, quam patiebatur in crure fistula curaretur, medicorum consilia ad balnea quae sunt Paduano in agro venit, efficacia quidem curandos ad morbos esse feruntur. Homo erat hic abbas cum aetatis reverentia tum vitae sanctimonia venerabilis ac dives, nec impensae parcebat ulli, dum spem modo recuperandae sanitatis haberet. Venit igitur ad balnea abbas iste, et quae iusserant medici, omnia pro lege servavit. Sed cum remedia nullo ab homine data valerent, summum ad Deum, qui verus ac bonus est medicus, se reduxit. Audita enim fama Antonii huius beati motus, opem imploravit suam, atque profectus eius ad tumbam, cum orasset paulisper sospes et incolumis abiit.

42. Annos octo vexata Gisla de Baxiano hunc venit ad Peregrinum. Enimvero ob guttam magnopere claudicabat, sed domum regressa est sana quod exaudisset Dominus orationem suam meritis Peregrini.

43. Geltruda Theutonica femina ad Peregrini huius sepulcrum profecta est, quod apud suos audisset narrare miracula quae Dominus faceret per hunc Peregrinum, nec quidem spe fraudata est sua; verum quae ob guttam dextero latere claudicabat, ea libera et sana suam ad patriam remeavit.

(1) De hoc monasterio videsis CAMPI, *Dell' historia ecclesiastica di Piacenza*, part. II, pp. 17, 133, 137.

44. Exorantem Elicham ad tumulum Peregrini exaudivit Dominus aure ita benigna, ut quae guttam in genu ac pede sinistris haberet, nec incedere sine baculo usque posset, ea mox, sanitate recepta, Berdepaleam (1) unde venerat ullo sine baculo rediit.

45. Eadem e villa Berdepalea Auriema Iohannis fabri uxor sanata est ad tumulum Peregrini. Annos quidem octo bona haec femina hydropica fuerat.

46. Palmam quoque sanitatis assecuta est Palma haec Auriemae vicina, e villa Camarada erat, guttam vero magnam ambabus in anchis habens claudicabat valde.

47. Domini etiam misericordia patuit opera Peregrini in Poichabona, sic enim nomine appellabant feminam, quae apud ecclesiam Sancti Leonardi habitabat (2), et guttam utroque in genu ac renibus passa erat.

48. Nec respuit Dominus orationes Annae, habitabat haec Paduae apud antiquissimum Sanctae Euphemiae templum (3). Gibbosa vero ita erat, quod neque se erigere, nec ambulare sine magno labore ac dolore posset. Oratione autem ad Deum ac beatum ad Peregrinum fusa, domum rediit liberata.

49. Oratio item Francisci Omnis-Boni, Iohannis clerici filii, beato hoc isto nostro Peregrino propitio ac bene favente, exaudita est apud Deum. Paduae iste apud Sancti Iacobi ecclesiam (4) habitabat, venit namque Peregrini ad tumulum claudicans, quod genu sinistrum ob male incisum apostema contractum haberet, et orans mente devota quam petiit gratiam sanitatis obtinuit.

50. Nec praetermittendus est Iacobus de Pianiga, nam et ipse Peregrini ad sepulcrum sanatus est gutta, quam perdiu ac ipsa a nativitate passus erat.

(1) Hodie *Bertepaglia*; cfr. Portenari, p. 511. — (2) *Ibid.*, p. 477. — (3) *Ibid.* p. 373. — (4) *Ibid.*, p. 478.

UNE VIE INÉDITE

DE

S. ÉMILION

PAR

M. le chanoine ALLAIN
ARCHIVISTE DIOCÉSAIN DE BORDEAUX

I. Le document que je publie avec les éclaircisssements et notes indispensables, provient d'un manuscrit sur vélin appartenant aux Archives diocésaines de Bordeaux, où il est classé sous la cote Y 1. Notre texte y commence au milieu du fol. 150r et finit à la dernière ligne du fol. 155v.

Les caractères paléographiques du manuscrit sont évidemment ceux du XIIe siècle. Mais sur les marges et un petit nombre de feuillets, restés blancs, dans le principe, en totalité ou en partie, on trouve des notes et des pièces écrites au XIIIe siècle.

Le contenu du recueil suffirait à en indiquer la provenance. Il a été toute une petite bibliothèque pour les chanoines réguliers de Saint-Émilion (1). Il comprend un *Martyrologe Adonien*, dont les interlignes et les marges ont servi, pendant plus de deux siècles, à dresser, selon l'ordre du calendrier, un *Obituaire*, la *Règle de Saint Augustin* et l'exposition de cette règle, de nombreux *fragments des Saints Pères*, la *Vie* du fondateur du monastère, des *rubriques* pour l'office qu'on y célébrait, quelques *pièces liturgiques* dont plusieurs sont notées, deux *bulles* de Léon IX (2) et d'Adrien IV (3), des *notices de donations*, des *associations de prières* avec diverses abbayes (4). Au dernier feuillet on lit cette note en mauvaise cursive du XVIe siècle : *Aquest libres es del capitre senct Melion* (5).

Au XVIIe siècle, notre manuscrit entra dans la bibliothèque d'un magistrat érudit, Arnaud de Pontac, premier président du Parlement de Bordeaux de 1652 à

(1) Département de la Gironde; arrondissement et canton de Libourne, 3233 habitants. — (2) Jaffé-Löwenfeld, n° 4269. — (3) M. L. Delisle la croit inédite. J'en ai donné l'essentiel dans mon *Inventaire-sommaire des Archives diocésaines* [de Bordeaux], Bordeaux, 1893, in-4°, p. 587. C'est un privilège en temps d'interdit. — (4) Toutes ces pièces sont mentionnées en détail dans l'*Inventaire* cité. — (5) Et non *dels caperans*, comme je l'ai imprimé à tort (*Invent.*, p. 206).

1672. Le premier feuillet porte cette mention : *ex bibli. Arn. de Pontac, protopraesidis, catal. inscriptus*. Ce catalogue, dû à Louis Machon, le mentionne en effet en ces termes : *Martyrologium burdigalense et expositio regulae sancti Augustini, in-4° en vélin, très ancien* (1). J'ignore comment il est venu à l'archevêché de Bordeaux où je l'ai trouvé, il y a quelques années, avec deux mss. du XV° siècle, perdu dans un fatras d'imprimés sans valeur.

J'aurai tout dit sur notre recueil quand j'aurai ajouté qu'il se compose de 171 feuillets à longues lignes (2) ; que ses dimensions sont : 0.223 mm. × 0,170 mm., sauf le cahier comprenant les fol. 56-78 (0,200 × 0,140 mm.) ; qu'il est réglé à la pointe sèche ; que l'écriture en est d'ordinaire fort bonne ; que les titres sont rubriqués, que les grandes initiales rouges et parfois vertes sont d'un dessin très simple. La reliure pleine, en peau jaunâtre, est fort modeste, mais bien conservée. Elle paraît être de la fin du XVI° siècle ou du commencement du XVII°.

II. M. Léopold Delisle et le R. P. De Smedt, à qui j'ai communiqué la *Vita sancti Emiliani* publiée ci-dessous, la tiennent pour inédite. Notre saint n'a pas été l'objet de travaux nombreux et étendus. Mabillon lui consacre quelques lignes en deux endroits, d'abord dans l'*Index sanctorum praetermissorum in... III° saeculo benedictino*, qu'il a mis en tête de la seconde partie du *Saeculum tertium* des *Acta Sanctorum ordinis sancti Benedicti* (3) : puis dans les *Annales ordinis Sancti Benedicti*, à la date de 767 (4). Le Cointe en dit un mot (5). Du Saussay le mentionne brièvement ; je dirai tout à l'heure en quels termes (6).

Mabillon avait-il vu notre texte ? Je ne le crois pas. *Eius (Aemiliani)*, dit-il, *gesta leguntur in vetusto Breviario eius ecclesiae, prope Burdigalam, ad Dordoniam, sed non ita accurate ut propriis verbis referri mereantur*. Notre ms. n'est pas un bréviaire. D'autre part, les passages imprimés en italique dans la notice sommaire des *AA. SS. O. S. B.*, et qui, par conséquent semblent avoir été textuellement empruntés à la *Vie* que Mabillon avait eue sous les yeux, ne se retrouvent jamais mot pour mot dans notre ms. En revanche, ils sont tous dans une autre légende de S. Émilion que Guadet a publiée en 1841 (7), « d'après un

(1) Bibl. de Bordeaux, ms. 830, fol. 752. — (2) Le nombre des lignes varie. J'en compte 23 dans la partie du ms. à laquelle se réfère le présent travail. — (3) Paris, 1672, in-fol., 5° page (non chiffrée) après la préface. - (4) T. II, p. 213. Paris, 1704, in-fol. — (5) *Annales ecclesiastici Francorum*, t. V, p. 389. Paris, 1693, in-fol. — (6) M. le chanoine U. Chevalier indique en outre : H. du Tours, *Le Clergé de France* (sans importance) ; puis Lavor, *Bibliographie bretonne*, et Lobineau, *Saints de Bretagne*, éd. de 1836. (Je n'ai pu voir ces deux derniers ouvrages). — C'est à peine s'il y a lieu de mentionner, dans *Mém. Soc. archéol. de Bordeaux*, (t. XVI, p. LXXXI suiv.), la pauvre élucubration de M. E. Piganeau *(Saint Émilion et son culte)* dont l'auteur se montre aussi mal informé que possible et se livre à des fantaisies étymologiques et critiques assez réjouissantes. — Mon érudit confrère, M. l'abbé Caudéran, lui a répondu, trop longuement, dans la *Revue catholique de Bordeaux (Que saint Émilion a véritablement existé)*, 1892, p. 705-717, 751-765, et 1893, p. 11-23, 51-62. Cfr. *Anal. boll.*, t. XII, p. 473. — (7) *Saint Émilion. Son histoire, ses monuments*. Paris, 1841, in-8°, p. 263-268.

cahier petit in-8° de 27 pages, à lui communiqué par M. Sauldubois, curé du lieu (1). La comparaison de notre *Vita* avec l'*officium* de Guadet, indique, je crois, assez clairement que celui-ci est un *rifacimento* de l'autre. Je fournirai dans l'annotation les principaux éléments de cette comparaison.

